



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D. Virginis Oetinganæ Historia

Irsing, Jakob

Monachii, 1643

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64940)






FRANCISCVS GVILIELMVS DEI
& Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Osnabru-
gensis Mindensis & Verdensis, Metrôpolit. Ca-
thedralium & Insignium Ecclesiarum Colonien-
sis, Ratisbonensis, Frisingensis, Bonnensis, Oetin-
gensis, Monacensis respectiuè Coadiutor, Præpo-
situs, Archidiaconus & Canonicus Capitularis.
S.R. I. Princeps, Comes de Warthenbergh &
Schaumburgh, Dominus in Waldt & Hachen-
burg &c.

N

1

77

Th. 5072.



HISTORIAE

D. VIRGINIS

OETINGANÆ

LIBRI III.

DIVA SVAM MEDIIS TVTATVR
IN IGNIBVS ÆDEM,
VRBEM DVM FERRO ET FLAM-
MA FERVS ERVIT HOSTIS.

h. 1. 6. 7.

LIBRI III



D. VIRGINIS
OETINGANÆ
HISTORIA
A
IACOBO IRSING
E SOCIETATE
IESV
CONSCRIPTA.


Th. Hofman

sculp.

Wolf

sculp.

Collegij Societatis Iesu Paderbornæ 1644



06)?(o)?(90

SERENISSIMÆ PRIN-
CIPĪ AC DOMINÆ,
DOMINÆ

MARIÆ
ANNAE

VTRIVSQUE BAVA-
RIÆ DVCI, ET ELECTRI-
CI, NATÆ PRINCIPĪ REGNO-
RVM VNGARIÆ ET BOHEMIÆ,
NEC NON ARCHIDVCI
AVSTRIÆ, &c.



T Oetinganæ Vir-
ginis historiam tu-
telæ gratiæque V.
Ser.^{tis} offeram, ipsa
mihi causa est, &
impulsio historia Oetinga-
na. Cùm enim in eâ studi-
um, quo maiores V. Ser.^{tis} pa-
terni iuxtà, maternique fan-
gui-

EPISTOLA

guinis, sacratissimi loci cultum, venerationemque complexi sunt: cum felicitis coniugij societatem: cum ipsam V. S. separatim considero; omnia vt eius in clientelam opusculum hoc meum conferam, hortantur. Paternum genus, magnæ Domus Austriacæ Principes, optimo iure in primis nostræ Diuæ cultoribus numerantur. Augustissimus genitor Ferdinandus II. Imperator, cum Eleonorâ coniuge Augustissimâ, quam veræ matris erga V. S. gerere animus nouimus: frater, nomine & Imperio paterno insignis, Ferdinandus III. frater alter, animi magnitudine, bel-

DEDICATORIA.

ne, bellicáque virtute clarus, Archidux Leopoldus; nō adire tantū supplicésque venerari nostram Virginem; sed monumentis, regiā munificentiā dignis, exornare atque locupletare voluerunt. In Leopoldo Archiduce, parentis Augustissimi fratre, singulare semper aditandæ, muneribúsque colendæ studium eluxit. Omitto Matthiam Imperatorem, torique consortem Mariam Austriacam: eius fratrem, Maximilianum Archiducem: sorores, Mariam Cristiernam, & Eleonoram, aliósque nominis Austriaci Principes, quorum liberalitatem, pietatémq; præ-
A 4 clara

EPISTOLA

clara dona, vindicésq; memorie littere fatis efficiunt testatā.

In materno genere, inclytā Boiorum Principum Domo, tot fermè eximios Diuæ nostræ cultores, quot Principes, sexu ab utroque, inuenimus. Mater Ser. V.^o MARIA ANNA, Græcium proficiscens, Oettingam deuertit, vt pactum cum Ferdinando, parente piissimo, matrimoniū, Deiparæ auspiciis iniret. Eius dono sacerdos & ara ad D. Mariæ Magdalenæ, veste pretiosā visuntur ornata.

Signa gemmatā, aurea, argentea: vestes gemmis, vniouibus, aureo argenteoq; textu diuites magnam partem dona

na

DEDICATORIA.

na sunt Principum sanguinis
materni. In quibus non dona
tantum, sed etiam opera V.
Ser.^{is} insignia monstrantur.

Verum singularis quædam
ratio ac via, præter communes
cum aliis, ad V. S. non ducit
modò, sed etiam trahit atque
impellit.

Est ea Oetingana Societa-
tis nostræ, Tertie, vt vocamus,
Probationis Domus: quæ
eum adhuc nullius, ex more
Societatis, domicilii certi au-
thoritatem obtinuisset, inco-
larumq; paucitate laborasset;
sic liberalitate, gratiâque V. S.
constituta est atq; fundata, v-
ti & certæ sedis nomen habe-
at; & auctum, ad iusti Collegii

A s mo-

EPISTOLA

modum, sociorum numerum
 contineat. Cuius beneficij
 fructum Societas in primis
 nostra percipit, cui amplissi-
 mus inde sui obeundi mune-
 ris patet campus: percipit &
 ingens hominū id loci reme-
 dia salutis inuenientiū multi-
 tudo; quæ plurimū sanatis
 mentibus, quàm corporibus
 lætior discedit. Nec dubium
 est, quin magna emolumen-
 torum pars eò sit reditura,
 vnde principium profectum,
 hoc est, ad Ser. V. Cuius gra-
 tiæ & opusculum hoc meum,
 & Oetinganam Domum sub-
 misè commendo, precórq;,
 vt, sicuti studiosissimam se
 Mariani cultus prouehendi,

com-

○ DEDICATORIA.

compluribus argumentis ostendit; ita vicissim cum Serenissimo coniuge, liberisque lectissimis, huius, & quondam æternæ felicitate vitæ, precibus Oetinganæ Diuæ, Diuinam gratiam conciliantibus, donetur. Monachii Boiorum, vi. Idus Decemb. Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ die, Anno Christi M. DC. XLIII.

Vestra Serenitati

Deuotissimus

Jacobus Irsing
Societatis JESV.

A P P R O B A T I O

R. P. Prouincialis.

C*Um Virginis Oetinganae Historiam, à Jacobo Irsing, Societatis Iesu Sacerdote, conscriptam, aliquot nostri Patres, quibus id commissum fuit, in lucem edi posse iudicauerint: Ego Nicasius Widnman eiusdem Societatis per superiorem Germaniam Praepositus Prouincialis, pro potestate ab Admodum R. P. N. Mutio Vitellesco, uniuersae Societatis nostrae Praeposito Generali, mihi facta, typis mandari permitto. In quorum fidem has litteras manu meâ subscriptas, & Officii Sigillo munitas dedi. Augustae Vindelic. 29. Octobris, A. C. M. DC. XLIII.*

Nicasius Widnman.

i.
OETINGANAE

HISTORIÆ

LIBER I.

Origines Oetinganæ

CAPVT I.

*De situ, magnitudine, nomini-
bus Oetingæ.*



Oetinga, siue Pons
Oeni, Norici quondam
vrbs erat, Oeni ripis, quæ
Meronam, & Isiniscū flu-
uios excipit, imposita. Plana circū
patentissima, agrūmque felicis gle-
bæ, cliui molles in meridiem, Cis &
Trans-Oenani colles in Septentrio-
nem, amcenæ syluæ in ortum, & oc-
cidentem, lætâ quaquauersūm spe-
cie, complectuntur. Adhæc Alza
piscatu nobilis, & Salza, opportunus
rebus è Norico mediterraneo deue-
hen-

hendis annis, Oeno non procul incidunt; vnde naues aduerso flumine Oetingam facilè subuehuntur. Urbis amplitudinem, tametsi monumenta veterum silent, spaciis ingentibus vetustatis fama circumscriptam celebrat. Etenim memorant incolæ, sub tempora orientis in Boicâ Christianæ veritatis, Oetingam omni eo fusam ambitu patuisse, quo nunc S. Georgius, pagus à Diuo dictus, Vetus, & Noua Oetinga; clius à capris, & campus à latrocinio vel clade Mortfelda nominatus; vltraque ripas Oeni, in Vindeliciâ, Kaiserpergus, Pennenbergusq; colles, arx Burgfrida, vicus Burckium, continentur. Magnitudinis famam iuant argumentis, quæ ædificiorum rudera, valla, fossæ diuersè offerunt, urbis prorutæ vestigia non inania.

Urbis nomina pro populorum temporumque mutatione diuersa inueniuntur. Romana sunt, PONS

OENI,

Litt. Senat. Oeting.

*volf. in Da
fir.*

OENI, PONTES OENI: & conuersis *Antonin.*
 nominibus, OENI PONS, & OENI *Itiner. Ge-*
 PONTES. Boica sunt VTINVM & *vold. No-*
 VTINA ab Vtone, siue Otone Boio- *mencl.*
 rum Regulo, qui Regiam ibi consti-
 tuisse, & de suo nomen vrbi dixisse à
 multis traditur. PONTI etiam
 nomen prodit vetus tabula. Sunt,
 qui HODINGAM, & HOVDINGAM,
 vocabulo perperam deflexo, dixē-
 runt. Carolomannus, & alii Oetin- *Geovold.*
 gas appellant. Falluntur autem, qui
 nominis conuenientiam secuti ve-
 terem Oenipontem ad verbum In-
 sprugg Germanicè reddunt: cūm
 Oenipons, Tirolis caput, tridui fer-
 mē itinere in meridiem ab itineribus
 mansionibusque, quibus PONS OE-
 NI apud Antoninum inseritur, rece- *Itiner.*
 dat. Hodie, reliquis dudum aboli-
 tis, solum Oetingæ nomen retinet
 consuetudo.

Est autem nunc Oetinga duplex:
 Vetus & Noua. Sacellum, quod exci-
 dio

7 OETINGANÆ HISTORIÆ

• dio veteris vrbis ereptum est; & sacello circumiecta cùm sacra, tùm profana ædificia, Oetinga Vetus appellantur. Noua opulentum, & negotiatione annonæ celebre Bavarix Inferioris est oppidum, è bustis Vngaricis, ruderibusque veteris vrbis, incertū, quo tempore enatum. Id edito superpositum colli, in Septentriones Oenum præfluentem; in meridiem, veterem Oetingam, à quinque circiter stadiis, prospicit. Sunt Insignia Oetingæ vtriusque rebus eadem, formis tantum diuersa. Nam Veteri stat pro templi foribus Deipara, filium brachio gerens; eadem Nouæ in limine templi sedet. Antiquitas vrbis nondum Christi sacris imbutæ Lupum tribuit, de virgultis prædæ, hiantè rictu, imminentem: cuius effigiem nummi vetusti prodiderunt, Auentinus vulgavit in Oetinganis.

Non longè ab oppido, vbi cliu
obia-

obiacentes in plana latè patentia,
desinunt, certa veterum castrorum,
visuntur vestigia, fossâ vallóque
contra Veterem Oeringam obiecto.
Ea quis, aut quò tempore munierit,
omitto disquirere, nullum facile te-
stem Veritatis inuenturus.

CAPVT II.

*De Oeringæ siue Pontis Oeni
Origine.*

IAm Europæ, Asiæ, Africæ pars
magna Romanis armis cesserat, e-
rantque regna in Prouinciarum
formam redacta, ductæque in Pro-
uincias Colonia: cùm elatum victo-
riis, ingentique dominatu populum,
Germania, gentésque Cis- Danubia-
næ, nondum domitæ, sollicitabant.
Itaque bellum in Rætos, Videlicósque
decretum. quod auspiciis Augusti
Tib. Claud. Nero, & Nero Claud.
Drusus, priuigni, arte potiùs, quàm
viribus, quippe validis Marte popu-
lis

B

lis

6 OETINGANÆ HISTORIÆ

lis impigrè pro libertate dimicantibus confecerunt.

Non multò antè subacti erant Norici. qui cùm iuncti Pannoniis infestum in Istros exercitum intulissent: à Silio Romano duce excepti, & ad pacem petendam, atque imperatam, facienda sunt compulsi. Binæ inde Romanorum in Germaniâ citeriore factæ prouinciæ: Rætia, & Noricum. Quarum vtraque bifariam subinde diuisa. Rætiam discreuit in primam, & secundam Hadrianus Imperator, sub A. C. CXX. Primæ, superioris, & alpestris; secundæ, inferioris, & campestris, vtrique à situ, nomina accesserunt. Norico etiam geminatum nomen. Quod secundùm ripam Danubii ad alpes vsque patet, ripense; quod inde ad Italiæ limitem pertinet, mediterraneum dicebatur. Antè quàm in ius ditionemque Romanorum venirent Norici, regibus paruisse constat. etenim Vocconis nomen

*Panoyr. in
Com. ad
Notit.*

nomen prodit Cæsar in Commenta- *Bell. Gall.*
 riis: quem nuptui dedisse sororem. *l. 1.*
 Ariouisto, Germanorum Regi; & *Bell. Civ. l. 1.*
 bello civili, Cæsari equitum subsidi-
 um misisse, credibile. Romani re-
 rum in Norico positi vrbes opportu-
 nis locis complures condiderunt, &
 Colonias aliquot, domitæ genti ad
 officia legum imbuendæ, duxerunt.
 Illis accenset Auentinus Oeni Pon- *In Oeting.*
 res. Verùm, vti satis liquet, Lauria- *Velf. l. 3.*
 cum, Ouiliam, Iuuauiam Colonias *Boic.*
 fuisse: ita præter has aliæ exiguis mo-
 mentis afferuntur. Mansionem fuisse,
 siue hospitium ordinarium Ro-
 manorum militum, è Pannoniâ in
 Ratiâ primam, vel Galliam profi-
 ciscentium, litterarum fide
 satis compertum
 est.

8 OETINGANÆ HISTORIÆ
CAPVT III.

*Quando, & quomodo Oetinga, siue
Pons Oeni venerit in potesta-
tem Boiorum.*

BOIOS A. C. DVIII. è Nariscis,
Theodone duce, mouisse, Da-
nubiūmque traductos Vindeli-
ciam occupasse, consensu traditur.
Modus aditæ possessionis, abeunti-
bus in diuersa scriptoribus, in incert-
to est. Sunt enim, qui armis, & vir-
tute partam contendant, expugnatis
Romanorum Coloniis, copiis aper-
to Marte profligatis. Coniectant
alii, infrequentem, ac penè exhau-
stam, incursionibus Alemannicis,
abstractaque in Italiam ab Herulis iu-
uentute, prouinciam patuisse Boiis,
eamque ob rem, Theodorico Go-
tho, Italiae Rege, vel auctore, vel sal-
tem non inuito, sedes in eâ posuisse.
Iuuat priores ipse consentientium
scriptorum numerus. nimirum vl-
tra

tra nostri sæculi memoriã haud facile inuenias, siue domesticũ, siue alienum, quin Vindeliciam cum Norico virtutis, armorũq; Boicorum præmiũ faciat. Nec desunt argumenta firmandæ scriptorũ fidei. Nam, siue Romani tunc, siue Gothi Vindeliciam Noricũque tenuerunt; armis eò penetrandum fuit, quòd neque Romani suas eripi sibi Prouincias tulissent; neque Theodoricus, Christiani nominis Rex (quamuis Arrianus) suas populo profanorum superstitione Numinum contaminato incolendas obtulisset, armis vtique ab eã labe nobiles terras vindicaturus. Deinde Theodorico rebus humanis erepto, Amalafuentha Regina populorum subiectorum nomina, quos iureiurando ad fidelitatis officium adegerat, prodidit: in quibus neque Vindelicos, neque Noricos, neque Boios nominauit. Iam quid erat, cur Theodoricus Tridentum

*Mundius in
Episc. Ra-
risb. & ali-
bi.*

Auent. pag.

257.

Gasserus &

Hartman

Schedel in

Annal. An-

gust. M. 88.

Lazius l. 7.

migr. gens.

Reusnerus

Geneal. p. 2.

Francisc. de

Rofiers t. 3.

Stemm. Lo-

thar.

Gretserus

append. ad

Diuos

Aichst. &c.

Blond. de-

cad. 1. l. 3.

Joan. Magn.
l. 2. c. 26.

contra gentium exterarum irruptiones muniret, si Boios confines in clientum, & amicorum numero habuisset? Adhæc si in clientelâ Gothorum, primis annis à Boiorum ingressu, Vindelicia cum Norico fuit; permirum sanè est, id Eunodium, Jordanem, Cassiodorum tacuisse: & inter huius epistolas nullam Theodoricæ nomine ad Theodonem, tantæ gentis ducem, extare. Denique donationum tabulæ, quas Arno Salisburgensis Archiepiscopus confecit, & ad Carolum Magnum transmisit, testantur, Romanos homines à Theodone Cœnobiis & Ecclesiis esse donatos: quo nomine ait rerum Boicarum scriptor intelligendos esse veteres incolas, eorûmque posteros, qui subactâ à Boiis Vindeliciâ, & Norico, patriæ charitatem libertati anteposuerint, nouis que dominis obnoxij in ijs prouinciis remanserint. Prætereo monumenta complura, popu-

Brumm. l. 5.

populi scriptorúmque consensione Boiorum de Romanis victorias affirmantia: quæ nolim omnia, aut aliorúm referre, aut vana dicere, ac prorsus abijcere.

Pro aduersâ parte pauci quidem numero, argumentis tamen haud inanibus contendunt. Primùm grauis auctor memorat, pacatum Italiae regnum cum Dalmatiâ, Siciliâ, Rætiâ in potestatem Theodorici Gothi A. C. CDXCV. venisse, nempe tredecim annis antè, quàm Boij Vindeliciam (quæ eadem est cum Rætiâ inferiori) immigrarint. Extant & epistolæ apud Cassiod. binæ, quibus ante Boios in Norico & Rætiâ visos Theodorici imperium in eas prouincias ostenditur. Vna ad Seruatum Rætiarum ducem, quâ Maniario satisfieri iubet, qui sua sibi mancipia à Breonibus vi ablata querebatur. Altera ad prouinciales Norici, quâ illis bouum suorum A-

*Sigon. l. 162
Occid. Imp.*

*Cassiod. l. 12
ep. 12. l. 32
ep. 50.*

*Brunn. l. 42
Boic.*

*Volf. l. 8.
rer. Vind.*

Brunn. l. 6. Alemannicis permutandorum copi-
 am facit. Quæ permutatio circa
 annum D V I. facta creditur. quo
 tempore Gothicis armis edomitos
 Alemannos in Italiam, stabiliendæ
 pacis causâ, itinere per Noricum in-
 stituto, traduxit Theodoricus. De-
Sigon. l. 4. inde compertum est, A. C. CD
Occ. Imp. LXXVI. Imperium Occidentis,
 quod initium sumpserat in Augusto,
 in Augustulo (ita Momyllum voci-
 tabant) finem accepisse. Eius autem
 Imperii Prouincijs Rætiam Nori-
Sigon. l. 4. cumque fuisse, liquidum facit Con-
Occid. Imp. stantini diuisio. at annis, post Augu-
 stulum, & extinctum Occidentis Im-
 perium, triginta duobus, Boii pe-
 dem in his Prouincijs posuerunt.
 Vbi non satis perspicias, quomodo
 cum Romanis bello contenderint,
 eosque Colonijs delecerint, si tanto
 antè Romanorum vires à barbaris
 sunt obtritæ, Imperium deletum.
 Præterea prioris opinionis vindices
 vetu-

vetustissimorum scriptorum testimoniis laborant: quorum nemo est, qui vel disertè Boiorum de Romanis victorias memoret, vel conijciendi locum præbeat. Quod telum minuendo Iordanis & Cassiodori fidem frangunt. Nam hoc ipso anno D II X. quo Boiorum in Vindeliciam transitus mirâ consensione affirmatur, Theodorici de Francis victoriam falsò iactari queritur Baronius. Unde illos, ut assentationibus obnoxios, fidei minus fuisse studiosos aduersarii arbitrantur. Ambiguâ in re, & ad vniuersæ historiam Prouinciæ pertinente, meum non est decernere, qui vnius loci res, easque sacras potius, quàm profanas proferre scribendo sum iussus. Itaque hanc in medio, & lectoris arbitrio controversiam relinquo.

Cæterum (quod extra altercationem) Anno D VIII. Boii primùm in Vindeliciam, Theodone duce; in

B 5 Nori

Noricum deinde se intulerunt, suasque sedes antiquis vtriusque gentis limitibus (dempto quod ultra Lyicum Alemanni tenebant) definirunt. Ita Pons Oeni, celebre Noricas inter vrbes nomen, in Boiorum potestatem concessit. Id factum esse, Theodone II. duce quidam asserunt, nam anno D X X. ad Brundunum, & ostia Matychæ, Oeno superato, Romanos inopinantes aggressum ad interneccionem cecidisse, oramque fluminis, quâ etiam Oetinga continetur, ad Alpium vsque angustias subegisse. Quod cum Ranzhouiensibus Antiquitatibus consentit, quibus affirmatur, quo nunc loco Cœnobium insigne Canonico- rum ex D. Augustini legibus viuentium visitur, Bidacum oppidum, Romanorum Coloniam, stetisse, atque à Theodone II. solo æquatum fuisse. Porrò ad Pontem Oeni, siue Oetingam victos acie Romanos à
Boiis

Boiis non solum complurium testi-
 monia scriptorum; sed etiam propa-
 gatâ per manus à maioribus incola-
 rum opinione confirmatur. Hæc
 aliqui, vt commenta, repellunt, vt-
 pote qui ad Gothorum tempora
 nullum in Norico Romanorum im-
 perium agnoscant. Quibus tamen
 Procopius hoc loco tanti esse non
 debet, vt scriptoribus patriis præfe-
 ratur, quòd viri doctissimi, Rhena-
 nus, Freherus, Camerarius, aliique
 ostendant, scriptores Græcos non-
 nunquam in rebus Germanicis à ve-
 ro longiùs discedere. Post hæc ve-
 tera Vindeliciæ Noricique nomina
 in vnum Boicæ vel Bauariæ nomen
 cesserunt. Et subinde in Superio-
 rem & Inferiorem vniuersa diuisa est
 Prouincia, limitibus longè aliis,
 quàm olim à Norico Vindelicia se-
 cernebatur. Vnde hodie oblitte-
 rato Norici nomine, Bauaria infe-
 rior vrbe Oetingâ, sacratissimòque
 Deiparæ sacello & icone celebratur.

*Arenp.
 Vitus E-
 bersp.
 Auentin.
 Eifengr.
 &c.*

CAP.

*Quando Oetinga, siue Pons Oeni
Christi legem acceperit.*

DRupertum Boicæ gentis Apo-
stolum, ducémque ad Chri-
stianæ veritatis cognitionem
fuisse, cùm veterum monumentis
litterarum, tum famâ ad nos à maio-
ribus profectâ luculenter affirmatur.
At verò quo anno Boicam inierit,
Christiq; imbuere doctrinâ cœperit,
in magnâ varietate sunt, & dissensio-
ne scriptores. Causam disceptatio-
ni præbuere Childeberti, Franco-
rum Reges. etenim cùm antiquissi-
ma Ruperti Vita, quam Surius ad
xxvii. Martii diem recitat; eius ad-
uentum ad Childebertum referat;
alii secundum, alii tertium intelli-
gunt; alii secundo aliquot annis
postponunt. Verùm vti in alio at-
que alio Childeberto, alii atque alii
consentiunt; ita de certo anno in di-
uersas opinationes dissipantur.

Qui

Qui primo Childeberto, Parisien-
 sium Regi, supparem faciunt Ruper-
 ti aduentum ; eorum alii annum
 DXL. alii DXXXVII. alii DXXXV.
 alii DXX. edunt. Multis autem mo-
 mentis approbare conantur, ultra
 hunc Childebertum non posse pro-
 ferri D. Ruperti aduentum. Primùm
 quidem constat, Theodelindam,
 Garibaldi I. Boiorum Regis filiam,
 Authari Longobardorum Regi in-
 matrimonium datam, anno Christi
 DXC. &, eodem Authari demor-
 tuo, Agilulpho nuptam. Fastidito
 autem Arriani mariti connubio, Ca-
 tholicam Agilulpho veritatem per-
 suasisse: Longobardos, Regis auctori-
 tatem secutos, eandem amplexos es-
 se. Quis autem Theodelindam Chri-
 stianâ doctrinâ erudiuit, si sexcente-
 simum post Christi annum, quod alii
 dicunt, Boicam ingressus est Ruper-
 tus, cùm hic, omnium consensione,
 primus gentis doctor habeatur? Qui
 venif-

*Sig. l. i. Reg.
 Ital.*

venisse anno quingentesimo octo-
 gesimo tradunt, Theodonem ali-
 quem tunc Boiis imperasse demon-
 strēt necesse est: nemo enim est, quin
 ad aliquem Theodonem Ruperti
 aduentū referat. atqui ad eum annū
 nullus Theodo commemoratur.
 Iam Theodoni, quem sacro fonte
 tinxit Rupertus, nupta erat Regino-
 trudis: Theodoni, qui ad annum DC
 XVI. profertur, Gleichtrudis, qua
 Lungauia ad D. Michaëlis cum ma-
 rito sita est. Adhac, qui à S. Ruperto
 Baptismate sacro initiatus est Theo-
 do, ante Rupertum mortem oppeti-
 it: qui circa sexcentimum deci-
 mum sextum vixit, post Rupertum
 vitâ concessit. Deinde S. Ruper-
 tus ad minus annos quadraginta Sa-
 lisburgensi Ecclesiæ præfuit, magno
 scriptorum veterum consensu. Qui
 autem anno sexcentesimo decimo
 sexto in Boicam venisse tradunt, nu-
 merum annorum longè minorem ei
 tribu-

*Rynn. in
 Chron. Sa-
 lisb.*

*Sur. V. S.
 Rup.*

tribuant oportet, cum, si non vigesimo tertio, certe vigesimo octavo dicti sæculi anno vitam finierit. Præterea litteris famaque veteri traditur, quædam Boicæ templa ante annum sexcentimum à D. Ruperto fuisse dedicata; cœnobîa quædam condita: utpote Ratisbonense Oeringanumque Deiparæ sacellum, vtrumque *Vetus* appellatum: sacrum D. Georgio Weltenburgense cœnobium: S. Petri Salisburgense: Mariæ in monte, ut vocant, Nonnarum: S. Maximiliani: S. Petri Seekirchen-
se. Ad extremum uti Græci Olympiadibus, Romani Consulibus; ita Franci Regibus Parisiensibus tempora notare consueverunt. Cùm ergo Childebertus secundus Metensibus, primus Parisiensibus imperaverit; auctores, qui Childeberto Ruperti ad Boios aditum æquarunt, Parisiensem, non Metensem respicere debuerunt.

Gordon.

Qui

Andr. Ra-
visb. Abbas
Attarch.
Arenpek.
Velfer l. 4.
Rader. in
V. S. Rup.
Brunn. l. 5.

Qui Ruperti aduentum vltra
 Childebertum secundum, qui anno
 DC. decessit, proferunt; eorum alii
 annum DC. XII. alii DC. XVI. no-
 tant. Plurimum apud hos potest
 Arnonis Pontificis Salisburgensis,
 auctoritas. Is in Indice, quo Prin-
 cipum Boiorum in illam Ecclesiam
 liberalitatem complectitur, disertè
 Theodonis filium, & nepotem no-
 minat. Vnde ratiocinantur, eum
 Theodonem à Ruperto Christianis
 adiunctum, qui filium habuerit, &
 nepotem: talem autem circa annum
 sexcentesium decimum sextum
 Boicæ principatum obtinuisse. Inde
 neque ad Theodonem alium, neque
 ad Childebertum primum, quippe
 longissimo antè tempore vitâ fun-
 ctos Ruperti aduentum referri pos-
 se. Deinde cum auctor Vitæ S. Ru-
 perti Childeberto Francorum Regi
 eius aduentum notet; aiunt eum
 Childebertum intelligendum, à quo
 iura

iura Vangiones, quorum Pontifex erat Rupertus acceperunt. non autem acceperunt à primo, qui Parisiense; sed à secundo, qui Metense, siue Austrasiæ Regnum gubernauit. ex quo consequens esse videtur, immigrationem Ruperti in Boicam non esse ad primi Childeberti tempora retrahendam. Atque eorum, qui ita sentiunt, magna est hodie in historiâ Boiorum auctoritas. Haræus circa tertii Childeberti tempora Rupertum Boicæ inducit. Sed absque scriptorum argumentorúmque fide. Ego, quoniam hæc disceptare curatius ad alios pertinet, nihil ausim statuere. Itaque, permissio lectoribus arbitrio, è salebris inæquiora procedo.

Erat Theodoni iuncta matrimonio Reginotrudis, Francis orta Regibus, Childeberti, vel Theodeberti filia, veritate moribúsq; Christianis imbuta. Ea marito auctor fuit, vt

C

doctri-

doctrinam Catholicam in Boicam
 adscisceret, & cum subiectis populis,
 relicto idolorum cultu, vera sacra
 complecteretur. Diuinæ legis in-
 terpretem perquirentibus occurrit
 Rupertus, Vangionum (hodie Wort-
 matiensis appellatur) Episcopus,
 regio Francorum sanguine, vitæ san-
 ctitate, factorumque gloriâ inclytus.
 Qui Reginoburgum (Boicæ Regiam
 euocatus, Theodonem Christiani-
 præceptis eruditum, cum magni
 procerum populique multitudine
 sacris Baptismi aquis abluit, genti-
 vniuersæ ad veri cultum Numinis
 ditum referauit. Obiitâ exinde, & ad
 veritatis lucem erectâ Pannoniâ, re-
 búsque Laureacensis Ecclesiæ, pen-
 collapsæ, restitutis, reliquum obien-
 Ripense Noricum, incolas ad Chri-
 sti legem accipiendam eloquenti
 diuinâ permouit. Quo tempore
 Pons Oeni, siue Oetunga, Noric
 vrbs, felici veritatis lustrata fide
 Chri-

Christianis populis accessit. Complurium sententia est, Ottonem ibi Theodonis fratrem imperasse, urbi que nouum, de suo, nomen Oettingam indidisse, utpote qui eam bellorum cladibus deformatam instaurarit, regioque palatio exornarit. Ad hæc à D. Ruperto Christianam legem edoctum, sacroque fonte ablutum esse. Pro quibus militat constans vetustatis fama, sæpe, tacentibus libris, vnica rerum præteritarum nuncia: cuius pondus ac vim ostendit Gretserus in Diuis Aichstettensibus. Accedit vetus ad portam sacelli, occidenti obiectam, suspensa tabula: quâ res cum anno continetur his verbis:

*Auent. in
Annal.
Hund 1. p.
Annal. var.
Eccles.
Canis l. 3.
de B. V. &c.*

ÖTTINGA OLIM NVNCV-
PABATVR PONTIVS, RO-
MANIS SVBDITA. DVX
OTTO SACRA LYMPHA
PER D. RVPRECHTVM
LVSTRATVS ÆDIFICA.

C 2

VIT

24 OETINGANÆ HISTORIÆ
VIT HOC SACELLVM AN-
NO 545, ET CONSECRA-
TVM EST IN HONOREM
NOSTRÆ DOMINÆ. VRBS
NOMEN A DVCE ACCE-
PIT &c.

A
Hunc nu-
merum aliū
accipiunt
pro 7. aliū
pro 4.

Velfer.
Gevvold V.
Ponte Oeni.
&c.

Hunc Ottonem alii, contra commu-
nem populi scriptorūque multo-
rum sensum ad commenta relegant
vnà cum Theobaldo fratre, quem
Pisonii (Bauzanum est, Tirolis oppi-
dum) salutaribus Baptismi aquis et
piatum tradunt iidem, qui Ottonem
Oetingæ imperasse docent.

CAPVT V.

*De sacello, cultui Deiparæ, à S.
Ruperto, dedicato.*

QVod hodie Deiparæ sacrum
& non Germaniâ tantum vni-
uersâ, sed exteris etiam regni
celebre, Oetingæ sacellum visitat.
Planetis olim dicatum fuisse, res vni-
gò est indubiæ fidei, à maioribus fa-
sta

ma perpetuitate ad nos vsque pro-
fecta, Argumento sunt æquatæ cum
Planetarum numero cellæ, modicis
interuallis, ducti in orbem sacelli
parietem diuidentes; & facies ædifi-
cii tota ad veterum imitationem fa-
norum figurata. Accedit prisca
Germaniæ superstitio, Planetarum
cultui inprimis dedita. Solem &
Lunam, memorat Iul. Cæsar: Mar-
tem, & Mercurium, Tacitus. Mars il-
lis, Hesus, & Ares; Mercurius Woda,
Wonda, Teutates appellabatur. De
Teutate, & Hesu Lucanus:

*I. G. Bel Gal,
De morib.
Germ.
Serar. in V.
S. Kiliani
c. 14 l. No-
tat
Id. ib.*

*Et quibus immitis placatur san-
guine fuso*

*Teutates, horrènsq; feris altari-
bus Hesus.*

Jouem idem Poëta vocat Taranem:

*Et Taranis Scythicæ non mitior
ara Diana.*

Adoratum apud Boios Iouem, con-
stat ex epistolis S. Bonifacij: cuius &

*Tom. 8 Bib.
SS. PP. eps
122.*

C 3 Gad,

In op. Chro-
nogr. f. 580.

Serax. l. c.
In Oeting.
& Annal.

Gad, & Goda erant nomina. Veneris
meminere Optmeerus & Auent
quam Freiam siue Vriiam dicebant.
Saturnus, dignum crudo, & crudell
sene, nomen Krodo tulit. Auentinu
tamen, sacelli originem repetens, de
Planetis omninò tacet. nam com
memorato Theodoni Ottonisque
Baptismo: *duo*, inquit in Oeting
*templa extructa prope a Principi-
bus prope pratoria.* Veterem Capel
lam Ratisbonensem, & Oetinganum
sacellum intelligit: illam à Theodo
ne, hoc ab Ottone conditum. Qui
templa si à Principibus iam Christia
norum cœtui aggregatis ædificata
sunt; Planetæ non videntur adorati
in Oetingano. Accedit vetus tabula
supra prolata, quæ Ottonem sacell
conditorem facit:

DVX OTTO SACRA LYM-
PHA PER D. RVPRECH-
TVM LVSTRATVS ÆDI-
FICA.

FICAVIT HOC SACEL-
LVM.

Huic tamen aduersatur alia tabula, ^{Io Saller.}
quæ à D. Ruperto Idolorum fanum ^{in M. S.}
DEO Deiparæque consecratum
docet.

EODEM QVOQ; TEMPORE
IDOLORVM PHANVM
PRINCIPIS AVLÆ CON-
TIGVVM IN TEMPLVM
CREATORI VNIVERSI, AC
IN HONOREM BEATISSI-
MÆ VIRGINIS MARIÆ
CONSECRAVIT.

Quamquam igitur difficile est, ob in-
sitam maiorum narratione Oetinga-
nis opinionem, Planetas de primâ
facelli possessione deicere; mi-
rum tamen est, Auentinum Planeta-
rum nullam fecisse mentionem. Et
pugnantes inter se tabulæ, veterum-
que silentium videntur ostendere,
rem ad liquidum non esse comper-
tam. Quare de Planetarum vindi-

C 4

cibus

cibus aliqui Ottonem quidem facelli conditorem faciunt, sed nondum Christianum: alii adiunctam sacello partem quadrariam, in longum ductam, Ottoni tribuunt. Cùm prioribus illis pugnat Auent. post Baptistum Principum *templa extructa* *propere* afferens: cum his pugnat sermonis proprietas: eos enim conditores dicimus, qui partem operis principem extruunt, non qui nouam adstruunt. Quibus tamen omnibus non inesse tantum ponderis iudico, vt propterea ab antiquitatis fide, famaque communi discedamus, quæ nobis & tabularum, & scriptoris vnus auctoritate potior esse debet, cùm & illarum ætas incomperta sit, & Auentinus multis re gestâ sæculis posterior vetustatis fidem non possit abolere. Id omniũ consensione constat, à S. Ruperto sacellum Oetinganum sacris Ecclesiæ ritibus consecratum,

tum, Deoque, matricque Dei dicatum esse: siue id, deturbatâ Planetarû superstitione, in veritatis domicilium cessit: siue nouum, recentibus Christianorum Principum studiis, ædificatum est. Cœpit iam inde Oetinganum templum inclarescere. & progressu temporum tanta ueneratio cultusque accessit, vt præcipua pietatis & religionis arx in Boicâ dici mereatur.

CAPVT VI.

De Cænobio Benedictino, donationibusque Principum Carolingicorum.

Postquam Ludouicus Boicę Rex, Ludouici P I I Imper. F. A. C. DCCC LXXVI. fati concessit: tres filii, Carolomannus, Ludouicus, Carolus, ita regnum paternum inter se partiti sunt, vt Carolomannus Boicam, Pannoniam, Carinthiam, Bohemiam, Morauiam; Ludouicus

cus Franconiam, Thuringiam, Saxo-
 niam, Frisiam cum Lotharingæ par-
 te; Carolus Crassus Alemanniam
 eum Lotharingæ reliquo obtineret.
 Carolomannus, ad exemplum Ma-
 gni Caroli proavi (qui anno octin-
 gentesimo tertio Oetingam accessit
 se, religionis causâ, muneribusque
 locupletasse traditur) omne studium
 atque operam ad Oetinganæ Virginis
 cultum amplificandum contulit. Ea
 gratiâ, ne Diuinæ, Deiparæque lau-
 des, aliâque religionis officia vllò
 loci tempore intermitterentur; ne
 ue populo frequenti pietatis magi-
 stri, sacrorumque procuratio dees-
 set; magnificum ibi D. Benedicti fa-
 miliæ Cœnobium condidit, atque
 Deiparæ, D. Philippo Apostolo, ce-
 litibus aliis, quorum ibi tunc sacra
 lipsana seruabantur, religiosum fe-
 cit. S. Iacobus, cuius nulla in Diplo-
 mate apud Auent. mentio, alio tem-
 pore in societatem tutelæ S. Philip-
 po vi-

*Hifengr. c. 6.
 M. 8.*

*Auent. in
 Oeting.
 Hund. p. 3.*

po videtur adscitus. Huic Coenobio (quod primus rexit Wernolphus) sacelli sacri curatio, integro cum iure atque auctoritate à Carolomanno est commissa. Donata ei præterea Diuorum Maximiliani, & Diu. Felicitatis, filiorumque septem Martyrum, corpora, cum brachio S. Philippi Apostoli; & in templo nouo condita. Quæ sacra pignora sub Vngarorum in Boicam irruptionem Coenobitæ, ciuésque Oetingani ex impendente clade recepta Passauium asportarunt, muroque principis templi, geminas inter turres, medio immisas clauserunt. Quo tandem vetustate collapsa, Frederici I. temporibus, lucem denuò aspexerunt: Otingam nondum redierunt. Iam ornando cultui Diuino, alendo sacro coetui, leuandæ egentium inopiæ multas opimasque possessiones adiecit Carolomanni liberalitas, præsertim vltra citraque Draui

Draui

Draui fluminis ripas, ac mediis vicinos inter lacus montesque spatiis: quæ in gemino Carolomanni Diplomate sigillatim recensentur. Diploma, quo Cœnobio Sacellum Oetinganum, aliâque traduntur, in lucem proferre, non alienum ab hoc nostro instituto iudicavi, quò prisca pietas, quam singularem continet, & veneratio Virginis Oetinganæ liquidius elucescat. Accepit Auentinus olim à Viguleo Passauiensi Episcopo, & iuris publici fecit.

In Oeting.

DONATIO
CAROLOMANNI REGIS BOIORVM.

IN nomine S. & indiuidue Trinitatis, Carolomannus diuinâ auxiliante clementiâ Rex. Si de rebus terrenis, quas diuinâ consecuti sumus clementiâ, fidelibus quibuscun-
que

que nostris, idcirco adiutoria æterna
præbere contendimus, ut nobis in se-
cularibus negotiis deuotiores exi-
stant: quanto magis nobis præme-
ditandum est, ut etiam de ipsis ter-
renis rebus, pro amore diuino, atq;
pro æternâ remuneratione, Eccle-
sias Dei ditare satagamus. Qua-
propter nouerit omniũ fidelium Dei
Ecclesia, industriâ tam præsentium
scilicet, quàm futurorum: quomodo
diuinâ inspiratione compuncti,
complacuit nobis tradere pro aug-
mento mercedis æternæ, quan-
dam Abbatiam, quæ dicitur Ma-
taseo, ad Monasterium nouiter à
nobis à fundamentis constructum,
in loco, qui dicitur Oetinga: quod
etiam in honore S. Dei genitricis,
semper

semper Virginis Mariae: & S. Philippi Apostoli Domini nostri Iesu Christi, aliorumque Sanctorum plurimorum (quorum reliquias Deo propitio adgregare potuimus) ornatum esse cernitur: eam videlicet ratione praefatam Abbatiam ad supra nominatum Monasterium tradimus: ut ab hodierna die cum omnibus ad hanc ipsam Abbatiam pertinentibus, tam traditione regum, vel etiam aliorum liberorum hominum, ad iam dictum monasterium à nobis constructum perpetualiter pertineant, sine ullius successoris nostri contradictione. Insuper etiam notum sit tam praesentibus, quam futuris, quomodo illam Capellam ad Oetingas, & illam curiam

tem

tem ad Bueche, ad præfatum monasterium ad Oetingas tradimus, cum omnibus attinentiis, terris cultis, incultis agris, mancipiis, pratis, pascuis, syluis, aquis, aquarumve decursibus, quesitis & inquesitis. Omnia enim hæc, quæ supra memorauimus: tam ipsam Abbatiam ad Mataseo, quam ipsa duo loca (idest) illam Capellam ad Oetingas, & curtem ad Bueche, ex integro tradimus ad iam sæpe dictum monasterium, perpetuis temporibus possidendum. ita ut nullus deinceps, nec de parentibus, nec de filiis (si eos nobis Deus dederit) neque de nepotibus siue successoribus nostris, hanc traditionem nostram violare vel inquietare audeat. Si quis vero

ro

rō (quod absit) hoc præceptum do-
 nationis nostræ infringere disposue-
 rit, primum iram Dei, sanctorum-
 que eius incurrat, & in die iudi-
 cii tremendi, pro hac temeritate
 redditurus rationem, ante domi-
 num fiat. Sed liceat servis Dei,
 ibidem Deo famulantibus cunctas
 res præfatas, ad laudem Dei, et
 eorumque sustentationes, perpetuo
 possideret temporibus: quatinus qui-
 tē uiuant, pro nobis, atque cum
 Etâ sanctâ Dei Ecclesiâ attentius
 exorent. Et ut hæc auctoritas
 traditionis nostræ firmior habeatur
 & uerius credatur, ac diligentius
 conseruetur: manu propria sub-
 eam firmauimus, & annuli nostri
 impressione sigillari iussimus.

Sexto

Sexto Kal. Martii. Anno, Christo
propicio, Primo regni domini Caro-
lomanni serenissimi regis Boiorum.
Indictione nona. Actum Mata-
choue, curte regiâ, In Dei nomine
fœliciter, Amen. Anno Christi
DCCC LXXVI.

Carolomannum Oetingæ habi-
tasse, tradit idem Auent. quod & lo-
ci amor, & profectio in Carinthi-
am opportunitas credibile faciunt.
Ibidē A. C. DCCC LXXX grauiter
iacuit: postero, increbrescente vi-
morbi, vitam finiit, vniuersæ Pro-
uinciæ luctu desiderium Principis o-
ptimi restante. Charum ad omnes
fecerant præcipua regiæ fortunæ de-
cora: formæ dignitas, litterarum
cultus, prompta bello manus, con-
siliū expeditum, religionis studi-
um, liberalitas. Eodem loci tumulo
mandatus est in templo, quod à se
conditum Deiparæ, Diuóque Phi-
lippo, aliisque dicauerat.

In Oeting

Mariano.
Scot
Hermano.
Otto Fri-
sing
Aneno.

D

Post

*Diplom. a-
pud Auent.
in Oeting.
Auent. l.c.*

Post Carolomannum donauit
Oetingano sacello Carolus Crassus
complures villas, vinearumque Ran-
tersdorffensium, & Tabshemensium
partem, A. C. DCCC LXXXV.

Arnulphus Imp. religiosissimi pa-
rentis Carolomanni vestigia secutus
Randisdorffensem S. Pancratii Ec-
clesiam (hodie Ranzenhouensis est)
à se constructam, S. Philippo Oetin-
gano transcripsit, cum pleno rerum
emolumentorumque omnium iure
A. C. DCCC. XCVIII. Quo etiam
possiones, quas ad Lacum Beni-
cum in Italia habebat Oetinganus
Cœnobium, quæq; à Carolomanno
eidem videntur attributæ, cum aliis

Hund p. 3.

Rhegino

Viterb.

Marian.

Scot. Fri-

sing.

Hund. p. 2.

&c.

in Germaniâ propter commoda
cinitatis commutauit. Arnulphus
Oetingæ supremum expleuisse dies
multi tradunt. Annum DCCC
XCIX. assignant: mensem Nouem-
brem alii, alii Decembrem. Ibide-
tumulo Carolomanni patris illi

tum

tum, eorundem opinio est. Subinde Oetingâ Ratisbonam transmotum, argumento est Mausoleum ad D. Emmerami: ad hæc exequiarum iusta, Ratisbonæ quot annis fieri consueta. In quam sententiam accipendus est Leo IX. cum Arnulphum Ratisbonæ sepultum in Bullâ quadam memorat.

Ludouicus Arnulphi F. Germaniæ Rex, paternæ pietatis æmulus, Oetingano Cœnobio, cui tunc Burckhardus præerat, insigni prædium donauit, A. C. CM. l. Magnum æstimatorem ædis Oetinganæ fuisse, Diploma ostendit, in quo *sacrosan-*
Etum locum appellat.

*Auent. in
Oeting.*

CAPVT VII.

Oetingæ excidium.

SVblato è viuis Arnulpho Imp. noua belli tempestas Italiae Germaniæque incubuit. Vngari, regnante Crasso, iterum è Scythiâ profecti,

Brunn. l. 7.

40 OETINGANÆ HISTORIÆ
fecti, Pannoniam, victis exturbatis
que Hunnis, occupauerunt. Inde
A. C. C M. quo Germaniæ proceres
Arnulpho Ludouicum F. septennē
suffecerant, primos impetus in Itali
am effuderunt. Prædâ cladibusque
satiati, cū deducerent exercitum
legatos per speciem pacis fœderum
que in Boicam miserunt, eaque ope
râ prouinciæ naturam, opesque gen
tis ac animos explorauerunt. Paull
post effasi in Boicam, vtrâque Ana
sum progressi, vno die quinquagint
millia passuum peruolitarunt, et
emplisque barbaræ crudelitatis o
mnia compleuerunt. At vbi Boio
properè correptis armis occurre
viderunt; detrectato prælio, Dani
bium copias, prædâque traiecer
runt: rebûsque in tutum, vt ipsi sen
tiebant, receptis, hostilia omnia
cere perrexerunt. Luitpaldus, qui
tunc limiti Boicæ orientali præerat
arbitratus eas indignitates minim
feren-

ferendas, cum expeditâ Boiorum manu flumen traductus, vt primùm oblata est copia, prælio dimicauit, atque mille ducentos barbarorum, partim cecidit, partim in flumen egit, è Boiis vix vno desiderato. Atque hoc irritamentum fuit ac semen bellorum, quæ postea cum Vngaris plurima vario euentu sunt gesta. Anno deinde DCCCCII. Chusol Vngarorum Rex, cum magnâ suorum multitudine cæsus est à Boiis. Cui successi duo, Dursacus & Bugatus: qui per annos aliquot nouo bello apparando, ingentem Ludouico sollicitudinem incusserunt, barbari hostis à patriæ ceruicibus depellendi. Pugnatum denuò cum Vngaris A. C. DCCCCVI. Marte iniquo, incompertum, quo loco. Clades ingens à Boiis accepta. Luitpaldus ipse, rei Boicæ, Arnulpho, & Ludouico regnantibus, præcipuus assertor desideratus. Proximo biennio la-

ceravit Vngarici latrocinii rabies
Saxoniam, Thuringiam, Alemanni-
am, attonitâ atque torpente fortissi-
morum quondam populorum vir-
tute. Rex interea Ludouicus supre-
mis Rempublicam ruentem susten-
taturus conatibus, per Franconiam,
Alemanniâque acerrimos dele-
ctus egit, laquei supplicio militiam
detrectantibus proposito. Ita me-
tu coactæ copiæ in campis Lycati-
bus, in immensum circa Augustam
Vindelicorum fusis, ad annũ c. m. s.
conuenere, miserabilem, plenâque
desperatione speciem præ se ferent-
es. Vt ventum ad manus est, ma-
ior sperato alacritas, pugnandique
vis in nostris enituit. Itaque Vngari,
inclinante in Ludovicum victo-
riâ, ex acie simulatâ fugâ se prorip-
unt, nostrósque in terga hærentes
insidias opportunè locatas pertra-
hunt: quibus ab tergo coortis, cum
simul à fronte primi pugnam ex fugâ
repe-

repetere, circumuenti nostri, cursu pugnâque debilitati, cæduntur ad interneccionem, paucis fugæ præsidio seruatis. Quâ partâ victoriâ Vngari per Boicam, Sueuiam, Franconiam infesta signa circumferunt, cunctâque ferro ac flammâ, nullo sacri profanique discrimine, pervastant. Hac bellorum Vngaricorum tempestate Oetingam urbem, cum regiâ, & cœnobio euersam deustamque, suadet ab antiquo ad nos propagata opinio. Annus excidii, in incerto est. Sunt, qui nongentesimum septimum assignent, quo infeliciter cum Vngaris, Luitpaldo duce, dimicatum est. Mihi vero similis est, anno sæculi huius decimo, post Ludouicum in campis Lycatibus prælio fasû, iam obtritis Boicæ, vicinarumque gentium viribus, communi incendio coflagrâsse. Auentinus ipse, qui in Oetinganâ historiâ annum septimum supra nongentesimum Oe-

*Auent. in
Oer.
Eisengr. c. 9.*

tingæ fatalem facit; in Annalib. excidium Vtini (sic ei Oetingam appellare placet) post pugnam in campis Augustanis commemorat. Tante factorum profanorumque locorum stragi ereptum est sanctissimum Deiparæ sacellum Oetinganum, cum sacrâ Leone, supremo Numine sæuam furoris Vngarici procellam ad hanc Christianæ pietatis arcem frangente, quò & matris honor eximio affirmaretur miraculo, & insigne veritatis in Noricum illatæ monumentum posterorum pietati seruaretur.

CAPVT IIX.

Oetingæ post excidium status.

OEtingâ in miserabile bustum reductâ, quis exinde sæculi elapsu sacri sacelli cultus, quæ cuius superstitum fors, quis cõdendæ vobis nouæ auctor, incompertum est. Nimirum ab anno nongentesimo decimo ad millesimum decimum cætauum

ctuum nullum extat in litteris Oe-
 tinganæ rei vestigium. Etenim Vn-
 gari, nondum Germanicâ prædâ sa-
 turi, vexandæ Boicæ finem non facie-
 bant, donec ingenti ad Augustam
 prælio ab Othone M. victi formidabi-
 les esse desierunt. Tandem igitur sub
 annum millesimum decimum octa-
 uum reuiuiscit Oetingæ memoria
 apud Arnolphum Comitem Voch-
 burgensem: qui litem inter Bruno-

*l. 2. de S.
Emmer.*

nem, & Gebhardum Episcopos hoc
 anno Oetingæ disceptatam comme-
 morat. Vnde coniectura est, urbem
 tunc in eum redintegratam fuisse
 splendorem, qui Prouinciæ curiam
 conciliûmque deceret. Eodem sæ-
 culo, ad annum quinquagesimû ter-
 tium, memoratur Henricus III. Oe-
 tingæ Natalitia Christi egisse, filiûmque
 quinquennem, Boicæ Principem in-
 augurâsse, deiecto Conrado Boio.
 Post hæc, anno sexagesimo, aetis Fri-
 singæ Natalitiis, Oetingam VIII.

D 5 Non.

Non. Ianuarias digressus, cum Regibus Orientis natum in terris Deum, studio non impari, est deveneratus.

Mund. 1. p.

Tertio post hunc anno Henricus IV. Ratisbonæ iussit esse rata Engelberto Passaviensi Episcopo, quæ ab antecessis Regibus illi Ecclesiæ donata, & à patre confirmata fuerant. Cœnobium videlicet Chrembsense, & Matseense cum Sacello nostro Oetingano.

CAPVT IX.

Collegium Canonorum instituitur.

IAm inde ab urbis Oetingæ excidium usque ad Ludouicum, Othoni Magni Wittelspachii filium, qui patre humanis rebus exempto, sub anno M. C. XCII. reipublice adnotus est, minore studio, quam loci sanctitas exigebat, Oetingani sacelli regerebatur. Etenim cum antea Dei ui Benedicti Cœnobitæ statis precibus

bus, sacrificiorum procuratione, po-
 puli accurrentis institutione atque
 expiatione celebre Oetingæ nomen
 fecissent; adhæc rerum sacrarum
 pompam, peregrinorumque multi-
 tudinem caperet Diuorum Philippi
 & Iacobi Apostolorum Basilica; po-
 steà, deleta cum vrbe Cœnobio, ve-
 tus illa celebritas, animorumque
 cultus tribus fermè sæculis iacuit, so-
 lo è tantâ clade seruato Sacello. Quæ
 res Ludouicum permouit, vt Eccle-
 siam Diuis Philippo & Iacobo Apo-
 stolis è bustis Vngaricis restitueret,
 & Collegium pro Cœnobio insti-
 tueret, quod Canonicis duodenis
 cum Præposito contineretur: qui-
 bus & sacrorum cultus, iniuriâ tem-
 porum intermissus, & populorum
 confluentium salus curæ esset. Ita
 Ludouicus non armis tantùm no-
 minis Christiani gloriam de barbaris
 vindicauit, signis in Ægyptum, bello
 sacro, contra Soldanum illatis: sed
 pacis

pacis etiam operibus amorem studiumque religionis voluit esse testatum. Initia Collegii referunt quidam ad A. C. M. CC. XXVIII. Alii autem suadent Eberhardi Archiepiscopi Salisburgensis litteræ hoc anno datæ. *Cum inter nos, inquit Eberhardus, & illustrem virum Ludouicum, Comitem Palatinum Rheni, Ducemque Bauariæ, super iure patronatus Ecclesiæ Oetinguæ questio fuisset diutiùs agitata, praefatus vir illustris, gratiâ S. Spiritus inspirante, ad honorem Dei uini cultus salubrem concepit animum, quod in Ecclesia nominata locaret Collegium, & suis illud competenter dotaret redditibus: ita tamen, si nos iuri patronatus cedentes ipsi recognosceremus patronatum & privilegium fundatorum*

Nos

Nos itaque, ne tam laudabile videremur impedire propositum, sed potius adiuuare, iuri patronatus, vel habere videamur in prænominata Ecclesia, cessimus, quod aliàs non fecissemus, nisi Collegium ibi fieret; nec ratum habebimus, nisi fiat. Et tali conditione ipsum recognouimus verum esse patronum, saluo tamen in omnibus iure Diocesano &c. Hi sunt testes, Rudegerus Chiemensis, Carolus Seccouien-
 sis, Episcopi: Albertus Præpositus, Chino Decanus, totumq; Capitulum &c. Itaque liquet ex his litteris, anno MCCXXVIII. Canoniorum Collegium nondum fuisse constitutum. Non multò post factum, alia Eberhardi epistola Salisburgi VIII. Cal. Septembr. anno MCCXXXI. data Hund. p. 30. ta fidem facit, *Dilectus, ait ibi,*
filius

filius noster Ludouicus, Comes Pa-
 latinus Rheni, Duxque Bauariae il-
 lustris, ad honorem Dei sanctæ
 genitricis eius, & Apostolorum Phi-
 lippi & Iacobi, ceterorumq; Sãcto-
 rum, impetrata à nobis authorita-
 te, fundauit, & de nouo constituit
 apud Oetingas Præposituram Cano-
 nicorum secularium: ita, ut essent
 ibi duodecim Canonici cum Præpo-
 sito tertio decimo, dans eis, quan-
 tum in ipso erat, omnes immuni-
 tates, & honestas libertates, & pri-
 uilegia, quæ habent aliæ Ecclesiæ
 eiusdem ordinis, videlicet Patavi-
 ensis, & Ratisbonensis. Porro Lu-
 douicus huiusmodi viuendi ratio-
 nem constituit Canonicis, l. Omnes
 vno in Dormitorio, vt Cœnobii
 vocant, quietem nocturnam ca-
 ant: neque abnoctare cuiquam
 esto

esto, nisi vel hospitis officium, vel alia causa fontica id exigat, & Decanus permittat. II. Adulterii, vel cuiusuis alterius flagitii compertus, si, causâ legitimè iudicatâ, vitam emendare detrectauerit, & ad tribunal aliud prouocauerit; stipendio prouocationis tempore careat. III. Cibum vnâ in triclinio sumant ab Aduentu Domini ad diem vsque octauam post Epiphaniam: septuaginta diebus ante Pascha: octo diebus Pentecostes: præcipuis solemnibus, pro more aliarum Ecclesiarum. Ad mensam autem communem accedat pia lectio. Actis inde gratiis, ad Capitulum, quod vocant, Deum laudantes, procedant. IV. Palliis, profano more, ad proferenda brachia incisus non vtantur: sed eam omninò vestiendi modestiam teneant, quam ordini Ecclesiastico Lateranense Concilium præscripsit. Decreuit præterea Ludouicus stipendia

pendia Canonicis, quindenarum ad minus Salisburgenses libras in capita Decano & Scholastico quouis adiectis auctiora. Reliquum potestati Præpositi permisit, in usus Ecclesiæ, familiæque prudenter expendendum. Cui etiam, præter ius Ecclesiæ Oetinganæ, concessit omnes possessiones Oetinganæ villæ cum agro circumiacente, à portâ nimirum fori Oetingæ nouæ vsque ad montem. Adhæc ius tribuit de syluâ proximâ siue ad ædificationes Ecclesiæ, siue ad usum domesticum, ligna cadendi, venandique: in aquis etiam omnibus, vicinitatem rigantibus, piscatum exercendi. Deinde publicam cæremoniâ fidem obstrinxit, eisdem Ecclesiæ annuas centum argenti selibras pendendi eatenus, quod selibrarum totidem prouentus in possessionibus certis attribuisse. Aduocatiam, ut vocant, siue procuraciones, sibi, hæredibusque suis de-

bitas

bitas, Philippo & Iacobo Apostolis
 condonauit, promissâ Præpositi, Ca-
 nonicorum, hominûmque ac rerum
 tutelâ fidelissimâ, sine emolumento
 suo, sine eorum maleficio vel da-
 mno. Commemoratis, quæ ab Lu-
 douico Oetinganæ Ecclesiæ conces-
 sa fuerant; suam donationem sub-
 iungit Eberhardus: *Nos quoque,*
inquit, ob reuerentiam Dei, & BB.
Apostolorum Philippi & Iacobi, ei-
dem Præpositurae, cum consensu Ca-
pituli nostri, duas Parochiales Ec-
clesias, Purkirchen, & Muteling
(hodie Alzgern, & Perachia superior)
cum omn. iure contulimus & dona-
uimus, tali eam privilegio nihilomi-
nus honorantes, ut Præpositus ipsius
Ecclesiæ, quicumque legitime intra-
uerit, & tanti honoris se non indi-
gnum præstiterit, in Concilio Metro-
poli-

Hind. 3. p.

politano in sessione, & subscriptione
 Præpositis aliis secularibus prior &
 Superior habeatur. Porro Ludou-
 cus futura præcipiens animo, tumu-
 lum in eâ sibi, quam condiderat, S. S.
 Apostolorum Ecclesiâ, sub ædifica-
 tionis initia legit. Inferias mortuo
 tulit, Christiano ritu, Eberhardus
 Salisburgensis, Schiræ, sacram con-
 ferentib' operam, Chiemensi & Sec-
 couiensi, Augustano & Frisingano
 Episcopis. Cæterum donatione
 Ecclesiæ Oetinganæ factas ab Ludo-
 uico patre, ratas habuit Otho filius
 Landishutæ A. C. M. CC. XXXI
 Othonis filius, patrem auumque
 secutus, Frisingæ ratas esse iussit
 C. M. CC. LXIIX. XV Cal. Martii
 Quo etiam ad XVII Cal. Nouem-
 bris Wladislaus Salisburgensis Ar-
 chiepiscopus nouis litteris Eberha-
 di decessoris donationem, con-
 firmavit. Maiorum donatione
 succedentibus annis, à Principibus
 com

compluribus confirmatas, litterarum testimoniis constat.

CAPVT X.

Præpositi Oetingensis Ecclesia.

Primus Oetingensi Ecclesiæ præfectus est FRIDERICVS STRIPHIVS A. C. MCCXXXI.

*Hundius
Gevvold.
Eifengr.
M. M. S. S.
Oeting.*

II FRIDERICVS à STAVFEN A. C. MCCXLV.

III. SWIKERIVS A. C. MCCXLIII. Quo Ecclesiam nostram gubernante decreuit Vdalricus Salsburgensis Archiepiscopus, vt annua dedicati sacri Sacelli memoria Dei paræ Natali repetatur.

IV. HENRICVS de PIBVRG, Legum Doctor, & Historicus: cuius meminit Auent. l. 7. ad annum MCC LXXVI. Hundius p. 2. ad annum MCC LXXV. M. S. Oetinganus, *Vidimus* appellatus ad LXXII. III.

IV. Vnde Gevvoldum errare videas, qui initia Henrici ad MCC XCVI

E 2 refert,

refert, Eisengreinium secutus, qui
ab anno dicto ad nonagesimum nonum
Henrici præfecturam profertur.

V. WERNARDVS. Cuius
memoria ab anno sæculi vertentis
octogesimo secundo ad nonagesi-
mum nonum repetitur in M. S.

Vidimus. Ad hæc ipsa tempora re-
fertur apud Gevvoldum ex Conrado
Archiepiscopo Salisburgensi LEO-
NARDVS. Qui proinde non alius
WERNARDO fuisse videtur.

VI. Wernardo subiungit Eisengre-
Hartliebum de Puehberg: quem
præfuisse à M CCC XXVI. ad XXXI
dicit. Ex quo consequens est, inter
regnum viginti septem annorum in-
ter hunc, & præcedentem, qui Eisengre-
greinio decessit nonagesimo nono
sæculi superioris anno, intercessisse
Quod cum non desit, qui interpo-
natur, verisimile non est. Itaq; suffi-
endus Wernardo R. D. M. GEORGI-
VS: qui sexdecim annis, teste M. S.

Vidimus.

Vidimus præfuit. Hunc cum Eifeng.
præterit Gevvoldus.

VII. HARTLIEBVS à PVECH-
BERG, Canonicus Ratisbonensis:
quem ab A. C. M CCC XXVI. ad
XXXVI. memorant antiqua monu-
menta. Decreuit hic, neminem, ni-
si sacerdotio initiatum, Collegio Ca-
nonicorum adsciscendum.

VIII. M. ANDREAS: quem
ab anno M CCC XLIV. vsque ad
LVIII. commemorant Annales.

IX. LVDOVICVS GRANS,
A. C. M CCC LXI.

X. HENRICVS, Bauariæ Du-
cum Protonotarius, optimè de Ec-
clesiâ Oetinganâ meritis. Decessit
anno M CCC LXXXVI.

XI. EGENOLPHVS WAR-
THER, Canonicus Frisingensis: cu-
ius in Annal. ab anno M CCC LXXV.
vsque ad LXXXIII. mentio.

XII. JOANNES PREISINGER.
Vixit A. C. CD XXI II ad eiusdem.

sæculi xxxix. Inuit indubiè multò
ante magistratum, nisi quadraginta
annorum interregnum admittere,
aut alium memoriæ subductum ma-
limus interponere.

XIII. ERHARDVS HAWER
A. C. M CD XLVI. ad huius sæculi
quingagesimum.

XIV. MICHAEL RIEDERER
Doctor, Præpositus Ecclesiæ Catho-
dralis Ratisbonensis, Canonicus Fri-
singenſis, Ludouici Bauariæ Ducis
Cancellarius. Præfuit ab anno
CD LIII. ad septuagesimum primi.
Impetrauit à Ludouico confirma-
tionem Priuilegiorum Oetinganæ
Ecclesiæ. Præterea Burgkirchen
immunitatem à iurisdictione Prae-
torum, ministrorumque aliorum
rationes Principum procurantium.

XV. FRIDERICVS MAVRKII
CHER, Legum D. postea Passia-
ensi mitrâ insignis. Nam cum anno
M CD LXXIX. sublato è viuis Vd-
rico

rico Nurdorffio Episcopo, Fridericus
 Imp. Georgium Heflerum, S. R. E.
 Cardinalem sufficere contenderet;
 Georgius autem inferioris Bauariæ
 Dux Fridericum Maurkirchensem,
 aulæ suæ Cancellarium subrogare
 niteretur: res ad vim & arma perue-
 nit. Cæsari fauebant ciues Passau-
 enses, Duci Canonorum præcipui,
 qui metu factionis aduersariæ Schär-
 dingam demigrârunt. Receptus vrbe
 Cardinalis, cùm nusquam tutus cõ-
 sisteret, Boiis ex arce occupatâ tor-
 mentis urbem infestantibus; Austri-
 am repetiit, finemque viuendi fecit.
 Fridericus Episcopatu sine æmulo
 potitus est.

XVI. JOANNES MAYR. Rexit
 Oetingam Ecclesiam ab anno M CD
 LXXXVIII. ad M. D. VIII. Jecit pri-
 mum in fundamenta lapidem Eccle-
 siæ Apostolorum Philippi & Iacobi,
 die, qui Petri vinculis dicatus est,
 A. C. M CD XCIX. quo in hanc,
 E 4 quam

quam hodie cernimus. assurgere spe-
ciem cœpit. Impetrauit ab Inno-
centio VIII. Pontif. potestatem ad
ritum Passauensem statas Ecclesia
preces peragendi, probatas ob cau-
sas.

XVII. JOANNES NEVHAU-
SER, Doctor. Accessit ad guber-
nandum anno M D VIII. Donavit
Collegio Canonorum mille du-
centos aureos. Viuere desuit anno
sæculi huius decimo sexto. Fuit Can-
cellarius Ludouici Landishutani.
Fit etiam eius mentio in syllabo De-
canorum Ratisbonensium apud Ge-
yvold. & Hund.

*Krusch. de.
Epis. op.
German.*

XVIII. PAVLVS ZIEGLER
quem Maximilianus I. Imp. Curien-
sibus Episcopum præfecit. Sed po-
pularium seditione loco pulsus Oe-
tinganam Ecclesiam suscepit regen-
dam, anno M D XVI. qui vnà cum
Collegio sanctiones laudatissima
confecit.

XIX. CHRISTOPHORVS ADAMVS à NVSDORF, Canonicus Salisburgensis. Præfuit ab anno M D XLI. ad annum sæculi huius LII.

XX. JOANNES AWER de PV-LACH in Odelzhausen, Canonicus Salisburgensis, & Passaulensis. Obtinuit Præposituram ab anno M D LII. ad LXI.

XXI. WOLFGANGVS GRIESTETTER in Haslach, Præpositus Berchtesgadensis: qui Avvero suffectus est ad M D LXVII. vitam cum magistratu protulit. Tamulum Berchtesgadii accepit.

XXII. MARTINVS EISENGREIN. Hunc sufficiunt Wolfgango Hundius & Gevvoldus. Eisengreinius ipse in Wolfgango Catalogum Præpositorum finit. Si Andreas Fabritius, quem quidam interserit, proximè Eisengreinium præcessisset, eum Eisengreinius haud om-

misisset: qui 10. c. hist. Oeting. sub
 finem dicit: Deus illi (Wolfgango)
 omnibusque meis decessoribus vicā
 functis, æternā quietem & beatitudi-
 nem propitius impertiatur. Erat
 Martinus Eisengrein Studgardianus
 à Lutheri erroribus ad orthodoxam
 veritatem traductus. Supremā Phi-
 losophiæ laureā insignis docuit ora-
 toriam Viennæ, & Procancellarii A-
 cademici obiit munus. Ibidem tem-
 pli principis Canonicus, & Ecclesia-
 stes fuit. Ingolstadii cum Procanc-
 cellarii provinciā Doctoris Theolo-
 gi partes gessit. Fuit & Protonota-
 rius Apostolicus, & Boicus ad Romam
 Pontif. Orator, & Comes Aulae La-
 teranensis, Cæsareæque. Alberti
 præterea V. Bauariæ Ducis, Con-
 liarius: *Maximiliani II. Imp. Ec-*
clesiastes: Præpositus Passauiensis
 Mittratus præsul primus Ecclesiæ O-
 tinganæ. Ius mitræ, annuli, pedis
 aliorumque ornamentorum Pontificalium

Annal. A-
cad. Ingolst.

ficialium concessit Eisengreinio, & successoribus Pius V. Papa, diplomate A. C. M D LXXI. dato, Nonis April. Quod, quoniam eximiam cum Oetingæ nostræ, tum Eisengreini commendationem; adhæc ius potestatemque rari decoris completitur; hoc loco duxi proferendum.

PIVS PAPA V.

Dilecto filio MARTINO EISENGREINIO, Præposito Ecclesiæ SS. Philippi & Iacobi, oppidi veteris Oeting &c.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem.

D*euotionis tuæ spectata sinceritas, quam ad nos, & Romanam gerere comprobaris Ecclesiam, nec non eximia tuæ doctrinae & virtutis merita, simulque indefessi labores, cura, vigilia, studia,*

dia,

dia, quibus non modo in tuendâ ac
 conseruandâ, sed etiam in restitu-
 enda & ampliandâ, in istâ nobilif-
 sima Germania Proinciâ, fide Ca-
 tholicâ, te semper præstitisse atque
 claruisse re ipsâ cognouimus, sua
 quasi iure exigere videntur; ut
 & Ecclesiam S. S. Philippi & Iacobi
 oppidi veteris Oeting, in quâ Præpo-
 situs existis, quæq; inter alias Bava-
 riæ Ducis dominio & ditioni subie-
 ctas, & vetustate insignis, & assidue
 gloriosissimæ Virginis Mariæ mira-
 culis illustratur, ac populorum, quæ
 præ ingenti, quem ad Reginam ca-
 lorum, quæ sideribus prælata æthe-
 reis tanquam stellam matutina præru-
 tilat, gerunt, deuotionis affectu
 undique confluunt; maxime in il-
 lis

lis partibus valde celebris est: ac
personam tuam, quæ in dies, ut præ-
fertur, de eadem Catholica Religio-
ne, partim populos prædicatione di-
uini verbi in officio continendo,
partim in pessimos errores lapsos, ad
salutem reuocando, eosdemque ex-
emplo boni operis informando, assi-
duè bene mereri non desinit: ac tui
intuitu tuos in ipsa præpositurâ suc-
cessores congruis insignis decoremus,
& condignis ornemus honoribus:
Hinc est, quòd nos, qui accepimus,
predictam Ecclesiam antiquitus
Præpositi dignitate ornatam, ac eius-
dem Præpositum inter cæteros sæ-
cularium & Collegiatarum Eccle-
siarum Præpositos, quæ Metropolitico
iure Archiepiscopo Salisburgensi
subesse

subesse dignoscuntur, ratione Prepo-
 siturae dictae Ecclesiae primum locum
 obtinere: eandemque Ecclesiam in-
 signibus auri, gemmarum & orna-
 mentorum, ac sacerdotalium vesti-
 um muneribus, à clarissimis viris,
 praesertim nuper, ut etiam accep-
 mus, à dilecto filio, Nobili viro, Al-
 berto, Bauariae Duce donatam, ma-
 rum in modum auctam esse: eiu-
 dem Ecclesiae igitur amplitudine &
 celebritatis famâ, & tuarum, praes-
 sertim orthodoxae Religionis zelo,
 egregiarum virtutum odore com-
 moti, cum ad tuae Ecclesiae dignitatis
 splendorem, & tui ac Praepositi
 tempore in eadem existentis, Mitrae
 Anuli, Baculi Pastoralis, aliorum
 Pontificalium insignium usum m-

gnope-

gnoperè te desiderare intelligamus:
 Motu proprio atque ex certâ scien-
 tiâ, maturâque deliberatione nostrâ,
 ac de Apostolica potestatis plenitudi-
 ne; Tibi & tuis in Præpositurâ di-
 ctæ Ecclesiæ pro tempore futuris suc-
 cessoribus, Mitra, Annulo, Baculo
 Pastoralis, ac aliis Pontificiis Insignis
 uti tenore præsentium de speciali dono
 gratiæ indulgemus, &c. Porro Ei-
 sengreinius scripsit linguâ patriâ Oc-
 ringanam historiam, eamque Tetrar-
 chiæ Burghusianæ urbibus dedica-
 vit. Supremum diem explevit In-
 golstadii IIII. Nonas Maias A. C.
 M D LXXVIII.

XXIII. GEORGIUS à KIEN-
 BVRG. Successit eodem, quo Ei-
 sengreinius decessit, anno.

*Litt. præ-
sent.*

XXIV. ANDREAS FABRICI-
 VS, Theologiæ D. successit anno

*Annal. In-
golst.
Hundius.*

M D

M D LXXX. quo Georgius à Kienburg
Salisburgensi Archiepiscopo Coad-
iutor datus Oetinganâ se Præpositu-
râ abdicavit.

XXV. SBINCO de BERCKA,
Baro de Duba: Postea Archiepisco-
pus Pragensis, Administrator Epi-
scopatus Ratisbonensis, ac Præposi-
tus. Successit Fabricio circa annum
M D LXXXII.

XXVI. MINVTIVS de MINV-
TIIIS, Archiepiscopus Jaderensis, In-
nocentii IX. & Clementis II X. PP
Secretarius, Wilhelmi Bauariæ Duc
Consiliarius. Successit anno M
XCIII. quo decessor Pragensem
tram est adeptus. Mortalitem e-
pleuit A. C. MDCIV. Conditus e-
sepulchro in æde D. Michaelis Arch-
angeli, sacello S. Andreæ Monachi

XXVII. FRANCISCVS WIL-
HELMVS, Comes de Wartenber-
Dominus in Wald, &c. Suffectus e-
anno M DC VI. quo vitâ cessit. M
nuti

nutius. Hodie Osnabrugensi, Mindensi, Verdensi Episcopatibus insignis, & S. R. I. Princeps.

CAPVT XI.

De nouâ S. S. Apostolorum Philippi & Iacobi Basilicâ, deq; Mariano sacello adiunctis.

O Etingensium famâ miraculorum ab A. C. MCDLXXXIX. ad notitiam publicam primùm efflorescentium, longè latèque dimanante; paucis annis vsque eò populorum accurrentium increuit numerus, vt pars magna templorum angustiis excluderetur. Quam ob rem iuuando religionis studio visum est nouam, eamque amplam condere Basilicam, veteri, quam Ludouicus I. Boiorum Dux circa A. C. MCEXXX. cum Canonicorum Collegio extruxerat, deiectâ. Cœptum est igitur ædificari, quod hodie cernitur,

F præ-

præclarum Diuorum Philippi & Jacobi Apostolorum templum A. C. MCDXCIX. primum in fundamentum lapidem locante Joanne Mayr, Præposito Oetingano, die principis Apostolorum Vinculis sacro, impensis ærarii Ecclesiæ Oetinganæ, & piorum hominum liberalitate. Berchtoldus Episcopus Chiemensis, consecratus ad V. Cal. Octobris, anno MDXI. D. Michaelis Conditorio, sequenti biduo (erant Solis Lunæque dies) Ecclesiam Collegiatam B. Mariæ, & SS. Apostolorum Philippi & Jacobo unâ cum decem aris, & sacello quodam continente cum dictæ Ecclesiæ ambitu dedicauit. Annuo dedicationis solenni Dominicam, quæ scilicet Corpori Christi hebdomada diuidit, assignauit. Eadē porrò pietatis populi, quæ templi spatia laxauerat in arctum procedentibus annis corriguit, aris, monumentisque, aliis suppetentibus statuendis: quæ ex ornamentis

randem in impedimenta cedebant. Itaque cultus diuini, splendorisque facti studiosissimus Princeps, Franciscus Wilhelmus, Osnabrugensis, Mindenensis, Verdenensis Episcopus, Præpositus Oetingensis &c. quæ visum est, siue maiestati Basilicæ, siue sacrorum rituum elegantia, atque diuinorum mysteriorum procurationi officere, remouit; speciémq; multò, quàm adhuc erat, augustiorem, vsibusq; piis aptiorem induxit A. C. MDCXIX.

Mariano sacello, quod primitus septem cellarum ambitu definiebatur, noua adstructa est ædes, in longum porrecta, incertum, quo tempore. Eius effigiem aliquam præfixit Auentinus suis Oetinganis iam A. C. MDXVIII. qui septimus est post dedicatam Apostolorum Basilicam. Decimo deinde nono instauratam docent Rationum libri. Vigesimo, antiqua miracula, quæ sacellum foris ambiunt, depicta sunt, & affixa.

*De Societatis Iesu domicilio,
& templo.*

O Etingas Societatis Iesu Colonia-
niam duxit Wilhelmus V. Bo-
iorum Dux, Pii, si quis alius,
nomen commeritus, statuendis do-
mi foris que monumentis, cultui di-
uino, Christianique officii rationi-
bus prouehendis. Etenim cum
cerneret, quàm plurimos vitæ for-
tunarumque præsidia Oetingæ re-
quirere; animis non minùs consul-
tum cupiens, veteribus colonis
quos magnam diei partem procura-
tio sacrorum rituum, precumque pu-
blicarum in Basilicâ Marianoque sa-
cello attinet; subsidio misit tres
Societate Iesu A. C. M D XCI. qui
vsum diuinorum mysteriorum in-
morem verterent: confitentium in-
primis iudicia pro sacro tribunali
exercerent. Anno sequenti tres alii
nouis

nouis colonis accesserunt. quo etiã
Wilhelmus Dux domicilium propri-
um, Deiparæ sacello vicinum, dedit
incolendum. Ibi eos mense Julio
cum Renatâ, religiosissimâ coniuge,
inuisit, domoque lustratâ rei familia-
rizerendæ necessaria liberaliter de-
creuit. Anno deinde proximè sub-
eunte M D X C I I I. cum nostros impi-
grè laborantes arctè, minúsque com-
modè habitare censeret: coemptis
ædibus hortisque vicinis, nouam
Domum, eámque per commodam,
cum templo, D. Mariæ Magdalenæ
dicato, institit ædificare. Cuius pri-
mum lapidem Hieronymus Comes
de Porciâ, Nuntius Apostolicus lo-
cauit, V. Id. Septembris. Postea-
quàm verò Societas Jesu nouem
supra quadraginta annos perquàm
utilem operam nauasset, habendis
cùm ordinariis ad populum in æde
Diuorum Philippi & Jacobi Apo-
stolorum, tùm extraordinariis per-

oppida pagosque vicinos concionibus, imbuendâ Christianæ doctrinæ principiis iuuentute, audiendis expiandisque peccata confitentibus; interea neque Collegii, neque Domus, ex more legibusque Societatis, neque Missionis appellatione gauderet; anno MDCXL. Serenissimæ Mariæ Annæ Austriacæ, Ferdinandi II. Imp. filiiæ, Maximiliani Electoris, Ducis Bavaricæ conjugis munificentia, *Tertia Probationis Domus* appellationem cum certis prouentibus accepit: sacerdote eiusdem Societatis præposito, qui Domum Rectoris potestate regeret, & quos vocamus *Patres Tertianos*, vltimis experimentis cognosceret. Atque hanc *fundationem* Serenissimus Elector Maximilianus vnâ cum veteribus redditibus, in perpetuum Societati Jesu, datis tabulis, confirmauit.

OETIN.

OETINGANAE

HISTORIÆ

LIB. II.

CVLTVS D. VIRGINIS
OETINGANÆ.

Ria fermè sunt officiorum genera, quibus Diui, Diuorùmque templa, ea præcipuè, quæ conferendis in mortalium genus beneficiis inclaruère, coli consueuerunt. Vnum est, quo diuina sacrificia, preces horariæ, sacra Ecclesiæ mysteria, siue SACRAMENTA continentur. Alterum, quod piorum monumenta, donationesque complectitur. Tertium in adeundo loco, & peregrinatione ponitur, cum vel toti cœtus agmina supplicantium adducunt; vel singuli, vt quemque aut religionis amor, aut beneficii postulandi necessitas inci-

76 OETINGANÆ HISTORIÆ
tauerit, ad cælestes patronos acce-
dunt. Quæ tria hoc libro persequi
est animus, non minutim omnia pie-
tatis officia proferendo, quæ in in-
mensum abiret narratio; sed ea tan-
tùm, quæ vel rerum præstantiâ, vel
hominum dignitate commendantur.

CAPVT I.

*De rebus diuinis, ritu perenni Oe-
tingæ peragi consuetis.*

PRima laus officiorum, quibus
Oetingana Diua colitur, debet
tribui incolis, qui domine seruitiis
vt familiares atque domestici, ope-
ram omnem studiùmque consecra-
runt. Nobile in primis Canonico-
rum Collegium, in Diuorum Philip-
pi & Jacobi Basilicâ omnia eius or-
dinis ministeria obit impigrè. Pre-
cationes Ecclesiæ, ad horarum no-
mina discretas, quotidie cum ritibus
cantantur.

cantúque persoluit: perpetuo sacri-
ficiorum cultu Deum matrémque
virginem mortalibus conciliat:
quotidie sub vesperam, finitis in A-
postolorum æde precibus, ad sacel-
lum Marianum transit, cum sacerdo-
tum adiutorum, cantorúmque cœ-
tu. Ibi Deiparam salutatur, sacrámq;
diei præteritæ messem ad eius aram
repræsentat. Aduigilant impensè
rei diuinæ præfecti, nè quid negli-
genter ac dissolutè geratur. Adhæc
in dies seni sacerdotes (quem cul-
tum Ferdinandus Elector Coloni-
ensis, Bauariæ Dux, cum Francisco
Wilhelmo Osnabrugensi Episcopo,
Oetingano Preposito instituit A. C. M
DC XXXVII.) in sacello veteri preces
horarias, quas Officium B. V. appel-
lamus, recitant: vt, quanquam o-
mnia religionis opera, quibus in A-
postolorum Basilicâ Deus colitur,
ad matris quoque venerationem
pertineant; publicos & ipsa in sa-

crario suo habeat laudatores. Dignus Elector etiam in omnia Sabbathia, festosque Deiparæ dies sacrificium, stipendiis liberalissimis constituit Anno MDCXIII. Eundem admodum, stipendiis Mariæ Maximilianæ, Ferdinandi Electoris amicitæ, festis cum ritibus & musicâ sacrificatur omnibus Deiparæ solennibus, canunturque eiusdem tituli sermonis vsu LITANIÆ dicti: quoties & Sabbathis omnibus agitur. Sacrificiis in singulas hebdomadas constituendis stipendia constituerunt Franciscus Wilhelmus, Episcopus Osnabrugensis &c. Comes Francisca Paluia: Joannes Christophorus, Baron de Ruep: singuli aureis millenis Carolus, Princeps Liechtensteinibus millenis, trecentis, triginta tribus: de cuius pecuniæ emolumento septem pauperibus quaque hebdomade certa largitio confertur. Comes Wilhelmus Selava

tria millia binis in hebdomades Missis peragendis est elargitus. De huius pecuniæ prouentu quoquo anno quadraginta aurei pauperibus distribuuntur. Fuere & plures alii hoc in genere pii, ac benefici: omnes proferre studium breuitatis non finit.

De quotidianorum sacrificiorum numero, quibus in sacello Mariano litatur, satis est dicere, tantum esse, quantus ferme in die cõfici lege potest. certè ibi octies millies quingenties quinquagies quater, anno MDCXLII. qui vltimus est huius historiæ, tribus in aris, est sacrificatum. Cæterùm, quod à B. Virgine appellationem habet sacrificium, in sacello eodem quotidie cum cantu perficitur. Omitto sacra, quæ in Diuorum Apostolorum, Diuæque Magdalenæ templis quotidie complura peraguntur. Adiungunt strenuam Societatis Jesu sacerdotes operam, animarum

marum

marum iudiciis pro tribunali sacro
affiduò studioséq; exercendis. Post
quàm illi Wilhelmi Bauariæ Ducis
auspiciis domicilium Oetingæ fixe-
runt, mirum in modum & cura pec-
cata confitendi, & labor audiendi
hoc loci inualuit, paruis initiis in lu-
culentum numerum, incremento
ferme annuo, prouectis. Juuat an-
num millesimum sexcentessimum
committere cum sæculi huius qua-
dragesimo primo; illo, septena mil-
lia, sexcenti quadraginta poenitentia
sacro lustrati numerabantur: isto
nonaginta millia, octingenti, aucti
sanè memorabili. Jam tamen si loci
sanctitas ad nostræ Diuæ cultum in-
colarum animis inferendum suffi-
ciebat: quò tamen animorum con-
iunctione arctiore, stimulisque inci-
tati pluribus piæ seruitutis officium
implerent; Sodalitium, Mariæ a
Angelo salutatæ auctoratum, institui-
erunt, ad annum MDXCIX. iis legi-

bus, pro

bus, quibus in Societatis Jesu Collegiis cœtus Deiparæ diuersis discreti titulis vtuntur. Accessit aliud sæculi sequentis anno decimo, Mariæ cælo receptæ sacrum. Sodalitium Deiparæ, Archifraternitatis prærogatiuâ infigne, instituit A. C. MDCXIX. paulò antè memoratus Osna-brugensis Episcopus: Marcus Sitticus Salisburgensis Archiepiscopus confirmauit. Anno subinde MDCXXXII. loci, & vicinitatis agricolæ societatem aliam ab D. Isidoro Hispano dictam coiêre, imitationis exemplum de suâ sibi tribu petentes, agricolam nimirum, in diuorum numero collocatum. Huius Sodalitii excolendi amplam impartitus est facultatem Societati Jesu Chiemensis Episcopus, auctoritate vniuersi concilii Salisburgensis, quod Consistorium vocamus. Porrò sic vulgò placuit id instituti, vt viri primæ dignitatis nomina inter agrestes voluerint profiteri.

Caput

CAPVT II.

*De principe dono, Deiparæ vetu-
stissimâ Icone.*

QVONIAM ab Icone Deiparæ
igneâ, quæ in arâ sacelli Maria-
ni ferreis præclusa clathris ve-
nerationi populi proponitur, vni-
uersa loci religio manauit; eam ob
rem nobilissimum sacelli ornamen-
tum, & Oetinganæ gazæ meritò ca-
put habetur. Stat Virgo, dextro
infidentem brachio filium, laeuâ ma-
nu præfixo lilio sceptrum gerens.
Dexteram filii globus implet caru-
leus, supremi insignæ principatus
laeuâ modicè ante matris humerum
attollitur. Vestis rubet: aureus or-
ram limbus obit. Caput Virginis or-
perit pileus, formâ principibus sin-
gulari, crucibus in orbem distinctis.
reliquum corpus conuestit cyclo-
rubra, aureo limbo finita; pallium
que candicans, fibulâ supra pectus

æxum

nexum. Hæc à cælatore & pictore
statuæ species. quam dudum piorum
liberalitas palliis auro argentóque ri-
gentibus, variáq; torquium, margari-
tarū, gemmárumq; gazâ intexit. Sti-
pant ab lateribus mediam duæ virgi-
nes : Catharina, partem rotæ præ se
gerens : Margaretha draconem in-
festum edomans; ambæ coronis, ve-
stiúmque cultu, siue genus regium,
siue regnum virtutis attestantes.
Quas Marianæ statuæ, multò licet
humiliores, propemodùm æquare
pictores cælatorésque solebant, plus
ingenio, quàm veritati indulgentes.
Quis autem hæc facello ornamenta
intulerit, nullo auctore certo com-
pertum habemus. Opinio est ab an-
tiquo, D. Rupertum, vti Deo Deipa-
ræque sacellum dicavit; ita patronæ
signum ibidem statuisse: inde ad no-
stra vsque tempora inuiolatum ve-
tustate, latrociniis Vngaricis, vrbs
excidio, bellis intestinis, locum te-
nuisse.

nuiffe. At postquam Gustauus Sue-
 corum Rex A. C. M DC XXXII. vi-
 ctorem exercitum Boicæ intulit, v-
 niuersamque prouinciam terrore
 compleuit; Oetingana cimelia in ar-
 cem Burckhusianam, statua Deipara
 Salzburgum ab Elisabethâ Maxim-
 liani Bauari Electoris coniuge est a-
 sportata, Aprili mense. Ibi eam re-
 ligiosissima Princeps in sacrario suo
 collocauit, opportunum rebus tur-
 bidis solatium, certissimam Numini
 irati mitigandi patronam. Subin-
 de Paris Archiepiscopus, Oetingana
 Virgini deuotissimus, statuam, an-
 nuente Elisabethâ Electrice, in prin-
 cipe vrbis Basilicâ, triginta diebus
 Deiparæ ad cælum euectæ religio-
 populo colendam proposuit: & in-
 mul omnis eò cultus commigrante
 Accursum ab ærumnosis, congesta
 munera, suspensa beneficiorum ac-
 ceptorum monumenta, sacrificiis
 supplicationibus, precibus, magni
 animo-

animorum feruore certatum. Inter-
ea deducitur Boicâ hostilis exerci-
tus, recipiuntur vrbes, Rex Gustauus
in Misniâ Lucensi prælio occiditur,
Oetinga in tuto esse iudicatur. Qua-
re Nouembri eiusdem anni mense
domum reportatur icon Deiparæ,
Principe Elisabethâ, & Paride Archi-
episcopo deducentibus. Oetingam
vii. Calendas Decembris, qui dies
D. Catharinæ sacer erat, peruentum:
pompa sacri pignoris hoc ordine du-
cta. Agmen ducebant Parœciæ, Oe-
tinganæ Ecclesiæ contributæ, longo
ordine, signis, Curionibúsq; discre-
tæ. Sequebatur Canonicorum Oe-
tinganorum, sacerdotúmque obui-
am progressorum coetus. Quibus
incedebant proximi, ordinis diuersi,
religiosi viri, Salisburgo ab Archie-
piscopo adducti. Post hos curru ve-
hebatur Archiepiscops: quem
Crux, insigne dignitatis, à sacerdote
in equo gestata præibat. Succede-

G

bat

bat in gestatorio magnificè exornato sacrum Deiparæ simulacrum: latera tegebant sacerdotes bini, equi uecti, lucernas hastilibus præferentes: mulos ephebi nobiles regebant Elisabetha Electrix, curru vehens cum aulicâ familiâ, equitibusque custodiæ corporis adiunctis, clausit agmen. Ad ædem D. Magdalenzæ descendit in pedes à Principibus. Stabat pro vestibulo templi ara temporaria: proptèr quam mensa, in qua vestitus Pontificalis. Eo publicè indutus Archiepiscopus *signum Deiparæ* de lecticâ protulit, atque, cum ductâ Sacellum Vetus supplicatione, per arcus triumphales ternorum Diuorum Philippi & Jacobi Apostolorum templo intulit. Vbi, per solertis, hymno Ambrosiano, gratias, & frequentem concionem dixit Hieronimus Dræxelius, æui nostri scriptor & Ecclesiastes in primis clarus. In *sum* ad Sacellum reportata patroni

veteri

veteri statione reponitur, Archiepiscopo laudes canente, & ad elargienda porrò mortalibus beneficia inuitante. Cum statuâ Virginis allata sunt præclara auri, argenti, gemmarumque dona, quibus pietas populi Salisburgensis accepta beneficia testari, memoriam voluit stabilire. Archiepiscopus factum ex auro calicem, perpetuum rei gestæ monumentum, supellectili sacræ addidit. Salisburgenses adhæc, tantæ suâ ab vrbe digressæ hospitis desiderium non ferentes, dulcem eius recordationem sacello ad exemplum Oetingani condito consecrârunt, idque Domui, quæ Lauretanæ gerit effigiem, adiunxerunt.

OETINGANÆ VIRGINIS
 EFFIGIEM, ADHVC CALA-
 MO DESCRIPTAM, ÆRI
 EXCVSAM PROPO-
 NIMVS.

GINI
CALA
ÆRI
O.



A. Icon D. Virginis Oettinganae B. Sacellum vetus. C. Domus Societ. Jesu.
Wulf. Kilian. f.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

I
de
qu
rar
ro
lat
exp
gn
tri
peg
ph
na
gu
vte
ue
oc
ne
co

CAPVT III.

*De signis antiquis aureis, gem-
matis.*

IN multis præclarisque donis, quæ
Christiana liberalitas in Otinganæ
Diuæ sacrarium congeffit, iucun-
dè spectantur signa quædam anti-
qua, materiæ nobilitate, operisque
raritate admiranda: nimirum ex au-
ro omnia, gemmisque, & veteri cæ-
laturâ ad eximiam pulchritudinem
expolita. Primum est Deiparæ. Si-
gni basis est porticus, supra quam
triplici aggestum pulpito assurgit
pegma. Ab hoc eminent arcus sap-
phiris grandibus, pyropisque alter-
natis relucens. Sedet pro arcu, au-
gustissimâ specie Deipara: Joannes
vterque, Baptista, & Euangelista, di-
uerso ab latere, nixigenibus, in eam
oculos intendunt. Pari veneratio-
ne de pulpito inferiore vir princeps
colit Virginem: Franciæ Regem lilia

hyacinthino sparsa pallio videntur
 prodere. Ex aduersū nobilis armiger
 cassidem principis vtrâq; manu pro
 se gestat. In porticu, quam operi ac
 commodè subiecit artifex, equus fer
 berrimè factus operitur principem
 famulo frenis admoderante. Au
 rum, quo conflatus est, artificio sin
 gulari, candor lacteus perfundit. Si
 mili colore, Deiparæ, Diuorumque
 cū huius, tū reliquorum signo
 rum velatur aurum. Nobilissimum
 hoc signum, ante alia, oculos men
 tesque spectantium tenet, artificii fe
 licitate.

Alterum signum Seruatoris ad
 tam reditum effingit. Patet ab imo
 porticus columnis effulta, flexo in
 circum ambitu. Collis ei herbidosus
 incumbit: colli sarcophagus. Hinc
 attollit se Crux, cuius commissuram
 limbus obit, quatuor genis per an
 gulos totidem distinctus. Sarcoph
 go adstant, hinc Angelus, illinc re
 cens

rens à morte triumphatâ Christus. Effusi per collem stertunt vigiles. In porticu Christus allocutione humanâ, videndi studio ad sepulchrum egressas attinet mulieres.

Tertium signum Christi ad supplicium rapti simulacrum gerit. Eius basis est pars vrbis, colli subiecta. Producitur hîc de portâ Christus, cruce onustus. Collis in medio miles ei tunicam, plagis inhærentem, deripit: in summo affixus cruci pendet. Adstant hinc, mater & Joannes; è diuerso, nisi coniectura fallit, Centurio, Christi morientis spectator, & admirator. Fidem facit, quod manu gerit, schedion, his verbis cælatum: VERE FILIVS DEI.

Quartum signum est *Cruce* in edito defixa: cuius latera Maria & Joannes tegunt. Gemini cælestes genii medium insistent collem. alter hastam, ab latere Christi; spongiam alter, ab oris contactu sacram, effert.

G 5

Ter-

Tertius, basi ab infimâ, flagellum vitæ
gâsque manibus ostentat.

Quintum signum est *Christus* de
cruce pendens; quam foliosis den-
verticibus moles infixam sustinet.
Diui lateribus molis affabrè inserti.

Visitur adhæc gemina effigies a
imitationem D. Dionysii Areopagi-
tæ, abscissum caput ad tumulum
portantis, facta: vtraque gemmis, a-
tera festiuo sub pedibus emblemata
exornata.

Sunt & tria sigilla, siue minora
gna, artificio maioribus paria: vnum
Deiparæ, D. Catharinæ alterum
ambæ lunis, orbem nondum im-
plentibus, vtero tenus extant. Ter-
tium Angelus. Est etiam tabella ele-
gans, cui Virginis ab Angelo saluta-
tæ emblemata, grandisq; supernè sap-
phirus immissus.

Hæc signa, aliâque complura,
pulentia Gallicæ monumenta, Bo-
cæ intulisse Ludouicum Barbatum

Stepha-

Stephani Boiorum Ducis, & Thadæ Mediolanensis filium tradit Auent. Quod vt magis liqueat, rem ab origine repetemus. Gerebatur sub initia decimi quinti sæculi Christiani bellum intestinum in Boicâ, cognatos inter principes: quo Monachium, pulsus, Ernesto & Wilhelmo, legitimis dominis, in potestatem Stephani patruï concessit. Ludouicus, Stephani filius, Martem domesticum auersatus, in Gallias, ad Elisabetham sororem, Caroli VI. Regis coniugem discessit. Vbi cùm ad annum M CCCC XIII. qui Stephano parenti supremus vitæ fuit, degisset; populari seditione ad fugæ consilia compulsus, excessit Galliâ, rediitque in patriam, ingenti cum thesauro. In eo fuisse, tradit Auentinus, simulacra Diuorum, pretiosæ artis, aurea, gemmata: Deiparam Virginem, Apostolos, Dionysios, Catharinam, Georgium, quinque Cruces, Joan-

Joannem Baptistam, Joannem Evangelistam, Michaellem, Barbaram, Philippum, Petrum, Carolum Magnum item pleraque alia, quæ Germania Clenodia vocat. Præterea diademata, vasa, gutturnia, cantharos, malleua, pateras, lances, patinas, circulos, pocula, & huiuscemodi. Insuper torques, annulos, vniones, adamantes, sapphiros, smaragdos, carbunculos, alias gemmas. Addit, huius thesauri partem Ingolstadii, & Oetingæ seruari, atq; monstrari: partem maximam à Ruperto Palatino occupatam, bello Bauarico, cum Alberto Sapiente, & Wolffgango, fratribus gesto. Quæ Oetingæ seruantur, paulò ante produximus. Ingolstadii pulcherrimum Deiparæ signum, ex auro factum, ac gemmis cultissimè exornatum, cum D. Michaëlis, draconis insultantis, faberrimo sigillo versatur. Regiam gazam vocant incolæ, quam tantâ curâ custodiunt, vt se-

mel

mel tantum in anno in publicum proferant, sacro Deiparæ in calum commigrantis die: quo in arâ Basilicæ Marianæ summâ collocata cum admiratione ac voluptate spectatur.

Quis ædi Virginis Oetinganæ thesaurum suprâ memoratum intulerit, incompertum. Nam Ludouico Barbato fati defuncto, Henricus Landshutanus opibus Ludouici, etiam sacris, potitus proditur. *Idem Dux*

Henricus, inquit Bauholzius, *Possedit omnes diuitias, oppida & villas, imagines B. Virginis, Archangeli Gabrielis, similiter & Apostolorum præfati Ducis Ludouici.*

Vnde nec certum est, ab Ludouico aliquid Oetinganæ Virgini donatum:

nec à vero alienum, eius munifi-

centiæ partem ad Henri-

cum pertine-

re.

*In Contin.
Andr. Ra-
tisch.*

CAP.

De alijs quibusdam priscae pietatis monumentis.

Celebratur inprimis Oetinganæ inter cimelia Navis argentea clathris aræ Marianæ appensa cui vetustatis prærogatiua, & miraculi, cuius monumentum est, magnitudo famam conciliauit. Prorari muniunt scuta quatuordecim, signa totidem nobilium familiarum caelestia. In his principem locum obtinent Henrici Lunenburgici, quidam Brunsvicensis, Insignia, Leones quatuor, quadrifariam disclusi; duobus primam aream, singulis reliquas tredecim implentibus. Causa appulse ad portum nostræ Diuæ navis hæc est. Transmisit A. C. MDXVIII. Henricus Dux à Britannia in Galæciam, D. Jacobo Apostoli ossa Compostellæ deueneraturus, nobilem trahens comitatum. Reuertentes inde, pridem eius

eius diei, qui D. Laurentio sacer est, adeò atrox tempeſtas adorta eſt, ut certus omnium animis interitus obverſaretur. Fæditatem procellæ geminavit noctis horror: cui ſævior ſucceſſit dies: diei nox altera, ſuperiore funeſtior. Humano caſſi auxilio mentes precésque verterunt ad Deiparã, votúmque pro vitâ nuncupârunt, navis argenteæ in Oetingano ſacello ſuspendendæ. Coniectura eſt, auctorem eius conſilii capiendi fuiſſe ſociis, quendam ex Adelzhuſiâ, nobili inter Boios familiâ, quem interfuiſſe periculo Inſignia gentilitia fidem faciunt, primis notata nominum litteris, I. V. A. Editò voto remittunt venti, ſerenantur cum cælo mentes, ſalva navis portum adpellitur, multis aliis eâ tempeſtate merſis.

Eodem anno Fridericus Elector Brandenburgicus, Alberti Achillis filius, à quo Principes Anſpacenſes ortum ducunt, duos antiquo opere calices

calices argenteos, diuino sacrificio peragendo, donauit.

Organum Musicum maius, quo Diuorum Apostolorum æde cantatur, fieri curauit Hoyerus Comes Mansfeld. Idem binas cataphractas quibus armatus inire prælia confueuerat, Diuæ Oetinganæ consecrauit tutelæ beneficium professus. Ad hæc galeam ingentem, ludis quondam uestribus habilem. Idem A. M. D. C. XXX. stipendium perpetuum constituit sacrificio Sabbathis omnibus, sacello Mariano, cum cantu peragendo. & eo Deiparæ sine labe conceptum voluit honorari. Quæ prolata mentes ad memoriam pietatis Germanicæ reuocant, tandem apud multos populos, non doctrinæ vitio, prolapsæ, vt iam in omnis Deiparæ cultus, tanquam in probus, & in maiestatem Numini iniuriosus, templis animisque proscriptus. Relucet etiam sacri-

cali in vestitu maiorum religio: Georgii, ante alios, Boiorum Ducis, & Hedvvigis coniugis, Casimiri Poloniae Regis filiae: Austriacorum praeterea, Saxonum, Brunsvicensium, Principum: Comitum adhuc Schvvarzenbergicorum, toparcharum Freundspergiorum, Mindelheimensium: aliorum, praeae nobilitatis, magnorum nominum: quorum pietatem, Insignia, antiqui operis, Casiolis affixa, posteritati commendant.

CAPUT V.

Alberti V. Boiorum Ducis, & posterorum in Oetingana aede visenda, & locupletanda pietas.

Albertus, qui Magnanimi nomen à factis tulit, uti religionis uniuersae, asperrimis rei Catholicae temporibus, fortissimus custos vindexque fuit; ita praecipuus Oetinganae

H

ganae

*Annal. In-
golst.*

ganæ Diuæ cultor meritò ac iure nu-
meratur. Cuius studium à singulari
quodam beneficio, in eum collato
vehementer in posterum exarsit. Na-
uigabat aliquando in lacu Wirmio
animi causâ: cùm repentè procella
atrocissima, magico, vt creditum, ex-
cita carmine, nauigio tam violente
incubuit; vt omnē vectores pariter
ac nauetę salutis fiduciam abiecerint.
Agebatur nimbo mixtus in ora tur-
bo: intermicabant fulgura: per-
nabant horrendo cum fragore ton-
trua: ruebant fulmina: omnium
vultus in mortem præsentissimam
pallebant. Hic Albertus Oetinganæ
Mariæ nomen ingeminat: vox Prin-
cipis eodem vertit cæteros: omni-
spes reponitur in Oetinganâ Maria.
Nec frustrata est clientum fiducia
patrona, adpellitur portum nauis
omnes incolumes, vitamque Deip-
ræ seruatam gratulantes in tutum
descendunt. Subinde Albertus, vo-

reus

fructu

reus, Oetingam accessit (ibat tunc, nisi coniectura fallit, annus Christi supra millesimum quingentesimus septuagesimus primus) donisque regiis sacellum sospitæ suæ cumulauit. Cæterum, quæ constat Albertina esse, sunt sequentia.

I. Ex auro puro scitè factus calix, *Index de-
not.*
incoctili ornatus emblemate, adamantibus, smaragdibus, pyropis diues. Calicem materiâ & opere simili cooperulum tegit. Gutti bini auro & arte calici respondent.

II Annulus pronubus: cui raræ magnitudinis & pretii gemma immissa.

III. Statuæ argenteæ nouendecim. Seruatoris & Mariæ, singulæ, duos & semis pedes altæ: Apostolorum duodenæ, semipede prioribus humiliores: & his æquali magnitudine DD. Pauli, Stephani, Laurentii, Magdalenæ, Catharinæ.

IV. Vestes sacrificio diuino cum

H 2

digni

dignitate pompâque peragendo. In quibus eminet pallium, quo sacerdos aram thure sufficiens induitur. Materia (viti & cæterarum vestium) tela est argentei textûs, floribus aureis distincta. Epomis, quæ pallio iniecta ab humeris defluit in tergum, vnionibus turget innumeris: quibus concinnè inserti sunt adamantes septendecim, pyropi quadraginta sex, carchedonii sedecim, smaragdi novendecim. Qui ab utroque latere antici descendunt in pedes limbi, pari vnionum examine, palmari latitudine, stipantur. Congruit pallio Casioli, quam aduersam, auersamque lati vnionum ab summo ad imum tractus discriminant. Adhæc Leuiticarum vestes binæ: quas limbi, vnionibus conferti, ab lateribus obeunt transversasque secant. Aræ denique velamentum pensile: cuius marginibus prætexuntur limbi, latitudine luculentâ, cumulatis in toros

nio

nionibus asperi: medium crucis effigies occupat, aptâ vnionum compositione expressa, cui MARIA nomen, gemmis descriptum vicenis quaternis, insertum.

V. Lituus Pontificalis, & mitra, Eisengreinio Præposito missa, postquam Pius V. Papa Oetinganis Præpositis insignium Pontificalium ius potestatemque concessit.

VI. Candelabra bina argentea, D D. Philippi & Iacobi Basilicæ attributa. Augustum confidentis in solio Deiparæ signum, selibrarum argenti quinque supra octoginta, semunciarum sex, de peregrinorum muneribus confectum est, Alberto auctore. Cum quo memoranda Anna coniux, Austriaca, quæ mariti munera cubitali aureâ cruce, vnionibus pyropisque eleganter adornatâ, cumulauit.

Wilhelmus V. Alberti F. eximio amore Mariam Oetinganam com-

H 3

plecte.

plectebatur, quot annis ad eam vi-
re solitus, iteratis fermè peregrina-
tionibus. Eius immortale munus
est, D. Magdalenæ templum, cum ad-
iuncto Societatis Jesu domicilio
vnde multa mortalium millia pura
Deiparæ sacrario mentes inferunt,
thesaurum gazâ Persicâ nobiliorem
Renata Lotharinga, Wilhelmi con-
iunx religiosissima, vti nostræ Divæ
deuotissima vixit; ita sub finem vi-
uendi pio id obsequio demonstra-
uit. Etenim propinquantis ipsa sibi mor-
tis vates, vtrâque medicorum ora-
cula prospiciens, cum Serenissimo
coniuge Wilhelmo, Eberspergam, &
porro Oetingam profecta est, Anno
millesimo, sexcentesimo, secundo
ultimum in terris Oetinganam Vi-
ginem, Diuûmque Sebastianum in
Eberspergensi Asceterio salutatur
Orantem in sacello Mariano Oet-
ingæ inuasit febricula, quam sola
fatalem iudicauit, & non multò post
experta est.

Ferd.

Ferdinandus, Wilhelmi frater, virtute bellicâ factisque clarus, coronam auream, pyropis collucentem, cæli Reginæ imposuit.

Wilhelmi soror, Maria Maximiliana, persæpe nostram Diuam supplicantis ritu visebat. Et nè mors piis intercederet officiis, viuens perpetuum cultum, quem non multò antè memorauimus, constituit.

Elisabetha Lotharinga, Maximiliani Electoris (cuius res feliciori calamo reseruantur) coniux, præcipuo cultu Virginem Oetinganã colebat. Illa Alberti V. pretiosam vestem sacrificam, de quâ paulò antè, magnâ diligentia ex vetustate in splendorem nouum, formamque concinniore vindicauit: eamque retulit Oetingam A. C. MDCXV. cum insigni adamante. Illa sacrificantem vestitu ornauit præclarissimo: in quo sericarii manu mysteria Deiparæ scitè expressa visuntur. Aliam præte-

rea, arte limbolarii venustè circumtextam dono dedit. Binis candela-bris argenteis, elegantissimè factis, aram sacelli Mariani exornauit. Inchoauit & mitram Episcopalem, vionibus grauem: adamantibus, smaragdis, pyropis lucentem: quam post eius fata Maria Anna Austriaca, altera Maximiliani Electoris coniunx perfecit. Hæc vti in sorte matrimonii, ita in Oetinganæ Diuæ cultu successit Elisabethæ. Nuptialem vestem suam mutauit in sacerdotale pallium (Pluuiiale vocamus) longè omnium pulcherrimum. Munus & opus eiusdem sunt binæ togæ, vniolibus opertæ; matris Virginis vnâ, Christi infantis altera. Monstrantur cum his, quæ præcipua sacrarum iconum ornamenta habentur; Corona nobilis Imperatoria, & Pontificalis mitra, tripartitò coronata. Orbis coronæ aureus, & inde surgentes inque globum collectæ zonæ aureæ

con-

confertis rigent adamantibus: interualla zonarum foliosi iunguntur ramuli, pyropis obfiti, & ad orbem implendum conuexi. Coëuntibus in summo zonis incubat globus terræ cærulæ: quem supereminet crux aurea, adamantibus oppleta. Mitra Pontificalis, pondere minus, opulentia, & arte par opus, infanti Christo, matris in brachio confidenti, est cōsecrata: Corona matri. Sunt & bina sceptræ, materiâ artificiōq; coronis conuenientia. Cæterū Elisabetha, præter alia munera, sex aureorū millia, anno MDCVII. dono tulit, quò id loci quotidiano sacrificio in posterū litetur. Hoc eodē anno duodeni Principes, sanguine & affinitate cōiuncti, vno Deiparæ accensi amore, tanquā ad Comitæ, diuinis de rebus agenda, conuenerunt. Nec obscura est Ferdinandi, Electoris Coloniensis, Bauariæ Ducis, liberalitas. Nam præter sacerdotum perpetua

Litt fund.

H 5

stipen-

stipendia, de quibus ante meminimus; vestem sacerdotalem, auream contextam, & unionibus in effigie Deiparæ confertis insignem; & aliam opere Phrygio perfectam, cuius margaritas aureæ complectuntur conchulæ; præterea statuam Virginis argenteam nobilem donavit Philippus Wilhelmi V. filius, S. R. E. Cardinalis, Ratisbonensis Episcopus, vnicè Diuam Oetinganam diligebat. Cui ut semper, quâ licet, esset; sui effigiem corporis, è cera factam, inter statuas Principum, quibus sacelli per ambitum interiorē complures positæ sunt, collocavit. Abstulit eum terris annus MDXCVII tantâ salutis æternæ fiduciâ; ut Medicis curandi spem dimittentibus impavidus iuxtâ, ac lætus dixerit: Amici, in cœlo suavius viuemus. Duci Alberto, Wilhelmi V. filio, quotannis Oetingam proficisci consuetum. Anno millesimo, sexcentesimo

tesimo

tesimo, decimo sexto cum Mechtilde Leichtenbergicâ, lectissimâ coniuge, pedes Monachio supplicantis ritu descendit. Ibidem Mechtildis anno sæculi huius trigesimo quarto ante Virginis aram in Sacello Mariano tumultum accepit, sine rebus humanis Lauffæ facto. Eâ gratiâ Dux Albertus Sacellum pretioso vestiuit perstromate, & eleganti monumento memoriam coniugis dilectæ stabiluit. Maria Anna & Magdalena, Wilhelmi V. filiæ, laudabili parentum fratrumque æmulatione, à teneris amare Oetingam, visere patronam, donisque colere assueuerunt. Maria Anna Græcium ad auspiciatissimas cum Ferdinando Archiduce (qui postea Romanorum Imp. fuit) nuptias profectura, anno MDC; Oetingam prius accessit, custodem sancti foederis Deiparam conciliatura. Auxit supellectilem sacram vestitu liturgico gemino. Vterque texturâ argen-

argen-

110 OETINGANÆ HISTORIÆ
argenteâ , floribus auróque distin-
guitur. Magdalena, quod mireris
virgine Principe , Oetingam Mon-
chio pedes profecta est , anno M. D.
XII. Non multò pòst nuptui data
Wolfgango Wilhelmo Palatino, Ne-
oburgico. Eius monumentum sunt
binæ lipsanothece, ex ebano, pulchre
scitéque factæ, rosis aureis gemma-
lisque sparsim exornatæ, cum veste
sacerdotis, aureo sericóque filo per-
textâ. Hæc, è multis, ostendendæ
Principum nostrorum erga Diuam
Oetinganam religioni sufficere dicitur.
Nunc ad alios progrediatur nã
ratio.

CAPVT VI.

Imperatorum, Archiducum, Prin-
cipum aliorum pietas &
dona.

Archiduces Austriaci, vti ad
omne religionis, diuinique ce-
tus officium præcipuo quodam
studio

studio feruntur; ita amorem in Oettinganam Virginem suam, cum ad-
eundo, tum muneribus, munificen-
tiâ regiâ dignis, ornando, persæpe
sanciuerunt. In quibus Ferdinandus
II. Imp. cuius eximiam virtutem æ-
ternitati litteræ commendârunt,
pro æquo ac debito primus numera-
tur. Is anno M DC XXX. Comitibus
Imperii Ratisbonæ finitis, cum Eleo-
norâ Imperatrice, coniuge, liberis-
que supplex ad Oettinganam patro-
nam inuisit. Et erant, qui vnâ vene-
rant filii duo: Ferdinandus III. Imp.
tunc Vngariæ Rex: & Leopoldus
Wilhelmus, Passauensis Episcopus:
pari etiam numero filia: Maria An-
na, & Renata Cæcilia: quarum hæc
potentissimo Poloniæ Regi Wladis-
lao; illa Maximiliano Electori Bava-
ro matrimonio iuncta.

Effulgescentem aduentu Princi-
pum tantorum lætitiâ, postero,
quàm venerant, die, (erat is duode-
cimus

cimus ante Cal. Decembreis) castris
 infelix obscuravit. Nam sub horarum
 lucis ortæ primam, dum Imperator
 cum suis in sacello Mariano cultu
 diuino impensè vacat; incendium
 de improviso coortum tumultu cla-
 moréque locum, animos omnium
 curâ ac formidine compleuit. Sep-
 tennæ domus, è Cæsarianis equis
 ceni quini, homo vnus conflagrauit.
 Perfurente flammâ, omnémque ex-
 tinguendi conatum eludente, simul
 lacrum Oetinganæ Virginis, Augu-
 stis, eorúmque filiis pompam or-
 nantibus, prolatum, eo limite, in
 quem se iam effuderat, incendium
 definiuit, vento quasi ad imperium
 ponente. Omen præcessisse credi-
 tur, Burghusii obseruatum, agmen
 fædarum auium, noctis medio, in
 sto cum crocitu Oetingam conu-
 lantium: quas orco emissas in sacello
 loci contumeliam, religiosissimique
 Cæsaris odium communi sensu fere-
 batur.

batur. Præclaris tunc donis Deiparam coluere Augusti. Ferdinandus II. Imp. Ciborium (sic Ecclesia craterem Eucharisticum appellat) aureum, capax, incoctili emblemate picturatum, quadringentis adamantibus distinctum, gazæ Marianæ intulit: Eleonora statuam Deiparæ argenteam, quadragenûm pondo, sacelli de tholo, ante aram suspendit. Septenæ lampades, de nubeculis, quas aptè simulacri pedibus subiecit artifex, dependentes, sacellum, ipsamque statuam illustant. Ferdinandus, Cæsaris filius, Crucem argenteam, sex pedes altam, scitissimè factam: ad Romani deinde Imperiî fastigium euectus, discum aureum, emblemate incoctili, pyropisque per marginem in mæandros eleganter errantibus exornatum, cum vrceis pariter aureis donauit. Eius germanus Leopoldus, is, qui postea contra Ecclesiæ, & Imperiî

rii Romani hostes, auspiciis fratris
 Imperatoris ducens, magnæ virtutis
 laudem est consecutus; Crucem au-
 genteam, insigni opere, quaterno
 pedes altam, suæ testem voluntatis
 parentum fratrisque donis addidit.
 Huius patruus, Leopoldus alter, Ar-
 chidux Austriæ, qui Oeniponti superio-
 ribus Austriacæ ditionis provin-
 ciis imperabat; amore studioque
 Diuæ nostræ ornandæ cum fratre
 Cæsare, Ferd. II. certauit. A. C. M. DC.
 XI. Passauium (erat tunc Diocesis
 Passauiensis Episcopus) pedester
 Oetingam peruenit, sacrâque ga-
 zam aureo calice, margaritis, pyro-
 pis, adamantibus ornato pulcherrimè,
 adauxit. Cere candidæ, sacrificiis
 in sacello Mariano peragendis
 misit quot annis, quantum satis: po-
 steros eiusdem annuæ largitionis ob-
 ligatione in perpetuum obstrinxit.
 Voluit adèò, quo viuens adire fre-
 quenter solebat, ibi memoriam
 viuere

viuere inextinctam. Claudia Archidux, Leopoldi coniugis imitata religionem, sacrum frontale, quo ara prætexitur, cum casiolâ misit: donum amœnâ aurei, argenteique textûs varietate visendum. Præterea velum operiendo calici, aureo argenteoque filo vtrinque pictum.

Paris Archiepiscopus Salisburgensis, cuius in Diocesi Oetinga est, pro amore in Deiparam, proque Pontificalis officii ratione, & accedere sæpius, & monumentis ornare quàm præstantissimis contendit. Nihil suprâ repetam. nouum eius, amplissimumq; beneficium est fons, quem A.C. MDCXXXVII. in campo Mariano, medio fermè inter Sacellum, & Canonicorum Collegium, spatio statuit, è marmore candido, artificio singulari perfectum. Panditur ab imo labrum, quaternis hemicyclis, angulorum totidem, extrorsum spectantium, interpositu disclusis.

116 OETINGANÆ HISTORIÆ
fis. Surgit è labri medio columna
quadraria : cuius lateribus cohærent
iuuenes quaterni , in syrmata Sira-
num ab vmbilico desinentes. Hi
buccis aquam proflant , labrumque
superius , modicè inclinatis cervicibus
impositum , sustinent. Imma-
nent labro superiori de columna la-
teribus genii quatuor , piscibus in-
dentes , aquam ore reddentibus. Su-
pra genios Insignia Paridis , & Epi-
grammata sunt , alternè columna-
teribus incisa. Epigrammata causam
positi Fontis exponunt. Ea hîc po-
nimus.

I.

PUBLICO BONO
FONTI A QVÆ SALIENTIS
MARIÆ AB S. RVPERTO BO-
IORVM APOSTOLO
VETERI PATRONÆ,
INTER PATRIÆ HOSTILE
FLAMMAS NOVÆ IN SVAVIA
VRBEM HOSPITI, VT PORRO
IN

IN SALVTEM FLVERETHVNC
FONTEM EXPOSVIT

PARIS ARCHIEPISCOP. SA-

LISBVRGENSIS

A. D. CID IDC XXXVII.

I I.

PUBLIC. GRATIT.

FONTI GRATIARVM MARIÆ

QVOD PROVINCIAM SALIS-

BVR. INTER ARDENS GER-

MANIÆ BVSTVM

SANAM, SALVAM

MATER GRATIÆ CONSERVA-

VIT GRATVS HVNC FONTEM

POSVIT

PARIS ARCHIEPISCOP. SA-

LISBVRG.

A. D. CID IDC XXXVII.

Porro epistylum columnæ opacant

nubeculæ, de quibus extant cælestes

genii. Superstat, augustâ magnitu-

dine ac specie Deiparæ simulacrum,

filium lauo brachio sustentis, lilia-

tum dexterâ sceptrum præferentis,

I 2

vultu

vultu in Sacellum, ab oriente oblitens, verso. Marmoris operisque pretium sena aureorum millia perhibentur. Magnis Oetinganæ Diocultoribus accenseri debet Sereñissimus Princeps Philippus Wilhelmus, Comes Palatinus Rheni, Neoburgicus, &c. anno, quo hæc scribitur, M DC XLII. Annæ Catharinæ Constantiæ, Sigismundi, Poloniae Regis filiaë matrimonio coniunctus. Eum Magdalena mater paruulum ad Diuam nostram adduxit, anno M DC XLIII, vbi patronæ, & filii salutem impensissimè commendauit, & filii sacri loci adamandi faces, nunquam extinguendas, subiecit. Paucis post annis Deipara patronæ munus, & demque insigni in Principem beneficio asseruit. Etenim cum exercitum, animi causâ, corpus, grauissimus improuisò casus oppressisset, è proceribus quidam, quem solus in rei conscientiam admiserat, &

stor ei fuit Oetinganæ Virginis in-
uocandæ, votiq; nuncupandi. Quod
vbi promptè, magnâque fiduciâ fa-
ctum, eo ferme temporis puncto le-
uatum se malo, ac prorsus incolu-
mem sensit. Voti reus Oetingam
anno huius seculi trigesimo septi-
mo profectus est, eò vsque vel nego-
tiorum rationibus, vel acerbitate
temporum impeditus. Monumen-
tum recuperatæ valetudinis cereum
Punicum, ponderi corporis coæ-
quatum, statuit. Et mox anno poste-
ro, cum Serenissimis, Alberto Baua-
riæ, & Francisco Lotharingiæ Duci-
bus Oetingam reuisit. Serenissima
dicti Principis Palatini coniux, Anna
Catharina Constantia, eodem, quo
in Germaniam venit, nuptiarumque
solennia celebrauit, anno, Diuam
Oetinganam inuisit, donoque tex-
tûs argentei casiolam, palliûmque
aræ præuelandæ, magno cum vnio-
num numero tulit. Henricus Au-

gustanus Episcopus bis Oetingam
 supplex adiit. coronam auream cum
 torque aureo donauit. Præter com-
 memoratos Principes, alii complu-
 res, primæ nobilitatis ac dignitatis
 homines, Germani, exteri, adeundam
 nostram Diuam, donisque ferendis
 aut missitandis celebrarunt: Ioanne
 inprimis Tscerclæ, Comes de Til-
 li, virtutis, victoriarumq; famâ lon-
 gè clarissimus æui nostri Dux. Is A. C.
 MDC XXIV. ad Ferdinandum II.
 Imperatorem proficiscens Oetia-
 gam deuertit, triduūque solidum
 omni religionis officio clientem se
 patronæ deuotissimum demonstra-
 uit. Anno deinde millesimo, sex-
 centesimo, trigesimo, Comitibus Ra-
 tisbonæ, quibus intereat, nondum
 finitis, Oetingam transiit: ubi que-
 triduum colendâ Virgine, vitæque
 rationibus ad calculum reuocandam
 posuit, eo pietatis diuinique solati-
 sensu, vt auelli inde non posse vide-

retur.

retur. Quo tempore sex aureorum millia, quotidiano, pro salute suâ, peragendo sacrificio donauit, vnde sacerdoti stipendium constitueretur. Intulit adhæc sacræ gazæ nobile cimelium, adamantibus conserutum, eleganti opere, nouem aureorum millibus æstimatum. Expetiit etiam in sacello Mariano conditæ mortalitatis exuias. Quoniam verò cautum est in posterum, nè quisquam ibi tumultum accipiat: ad D. Petri (sacellum est Oetinganæ Apostolorum Basilicæ continens) ei sepultura paratur. Cor dudum in sacello Deiparæ conditum. reliquum corpus Ingolstadii in conditorio templi Societatis Jesu seruatur. Ibi mortem obiit, anno MDCXXXII. exitu ferreæ pilæ, vltimâ cum Gustavo Sueciæ Rege dimicatione, ad Lycum, in femur impactæ. Henricus, Comes Schlickius, belli gloriâ, summisque in aulâ Cæsaris muneribus celebris,

anno milles. sexcent. quadrages. se-
 cundo, in nuptiis filiæ, quas, ad imi-
 tationem aliorum summatum, Oe-
 tingæ celebrari voluit; calicem au-
 reum: eiusdem coniux, Comitissa
 de Salm, & Neuburg, coronam infi-
 gnem, vnionibus confertam, rosis
 aureis, quibus adamantes interlu-
 cent, distinctam, nostræ Virgini con-
 secrauit. Calicem etiam aureum
 laudatissimus bello dux, Comes Haz-
 feldius, inter sacra vasa, suæ in Deipa-
 rã pietatis monumentum, reposuit.
 Quantum alii duces in Oetinganã
 patronã præsidii ponant; ostendit
 in primis annus MDCXXXV. quo pri-
 mi nominis tribuni militares, facili-
 deni, supplices eam adierunt. Singu-
 latim verò memorandus Wolfgan-
 gus, Comes Mansfeldius, qui anno
 sequente ab vsque Vngariã (Jauri-
 num pro Rege administrabat) Oetin-
 ganam profectioem obiit; &, ma-
 iorum instituto, hebdomadariū sa-
 crifi-

crificium, liberali stipendio, instituit, quo grata memoria inclytæ domus Mansfeldicæ, ad veritatem Catholicam reuocatæ, repetatur.

CAPVT VII.

*Ciuitatum, aliorumque cœtuum ad
D. Oetinganam peregrinationes, cum donis.*

INter ciuitates prima supplicantium agmen adduxit Monachium, Boicæ caput: & iam dudum morem recepit, quarto quoque anno eundem cultum repetendi. Anno seculi huius decimo septimo, quo chalias hominum inde Oetingam descendit, donum aræ Marianæ bina paria candelabrorum argenteorum intulit, magnitudine, & operis nobilitate visenda. Sex alia ex materiâ simili, ciuitatis eiusdem sunt munus, voti liberati monumentum, ob urbem ab excidio, quod bello Suecico non ex inani timebatur,

I 5 vindi-

*Statut.
Cong. Ost.*

vindicatam. Domi etiam (quod hic meminisse iuvat) perpetuo cultu Oetinganam Virginem colit Monachum. Est ibi Sodalitium celebre, Oetinganum à loco dictum. Id originem accepit à pietate Wilhelmi V. Bavaricæ Ducis: cuius postulatu Gregorius XIII. Rom. Pontif. ratum esse iussit; & aliorum, quæ subinde sub eo nomine ac titulo coalescerent, sodalitiarum caput fecit, unde ius omnia auctoritasque manaret: Præpositus Collegii Canonice ad D. Virginis (cuius Basilicæ Sodalitium contributum est) tutelam mandavit. Initium A. C. M D LXXXI. v. Non. Martias, dicto in templo, ritu magnificentissimo est celebratum.

Landishuta anno millesimo sexcentesimo decimo tertio supplicatum ritu adire Oetingam coepit. Coronam tunc dono tulit insigni magnitudine, pyropis collucentem. Et fulget in his sapphirus, plus quadringentis

gentis aureis æstimatus. Anno deinde seculi huius decimo septimo frequentes, ordinibus eleganter instructis, rediêre Landishutani: quo principium duxerunt, mysteria Rosarii, argenteis expressa tabulis, Oetingana Virgini repræsentandi: quorum singula, supplicationibus adferunt singulis, donec annorum lapsu numerus impleatur. Anno MDCXV. Salisburgenses, septingenti numero, sub signis Sodalitii sacratissimo Christi corpori auctorati, eo paratu & splendore, qui omnium oculos animosq; teneret, peregrinationem obierunt: & quod primum habetur, plerique Pœnitentiæ sacro lustrati, & Eucharistiâ sunt refecti. Rediêre deinde, piû agmen ducentes, anno MDCXXII. & XXVI. Auxit eorum liberalitas sacrû vestitum insigni Casiolâ, ærarium pecuniâ. Burghusiani binas in anno; Mildorffiani vnam obeunt, cum signis, & ordinibus supplicationem.

Budo-

Budouicenses, inauspicato bello, quod Ferdinando II. Imp. in Bohemiâ fecerunt A. C. DC XXIIX. heretodoxi; in fide permanserunt, omnique obsidionum, quibus arctè premebantur, incommoda pertulerunt, vrbibus alijs, præter Pilsnam, siue voluntate, siue coactu ad hostem descendentibus. Quam ob rem A. C. MDC XXI. quinque dierum itinere, supplicantium Oetingam cœtū duxerunt, gratiq; libertatis ac fidei suæ vindictam Deiparam coluerunt.

Vrbium aliarum, oppidorum, pagorum, quibus solenne Oetingam sub signis confluere, meminisse singillatim longum foret. Sufficit monere, maximâ hominum frequentia, siue gregatim Curionum ductu, siue separatim proficiscentium, locum celebrari. certè iam olim centum septuaginta duo Parœci quot annis subiectorum populorum greges adducebant.

OETIN.

OETINGANAE

HISTORIÆ

LIBER III.

MIRACULA D. VIR-
GINIS OETIN-
GANÆ.

Miraculorum Virginis Oe-
tinganæ fama, vti ab A. C.
MCDLXXXIX. ad hæc vs-
que tempora longè latèq;
per Europam increbuit: ita ultra
eum annum, tacentibus litteris, ni-
hil eo de genere comperti habemus.
In litteras exinde missa, & in vulgus
enuntiata, omne genus mortales, sa-
lutem, siue animis, siue corporibus
quærentes, ab omni parte, ad hunc
beneficiorum fontem euocârunt.
Quibus recensendis hanc rationem
tenere visum: vt primùm ex ingenti
numero luculentiora tantùm secer-
namus: in annorum deinde seriem,

vñ

128 OETINGANÆ HISTORIÆ
vt quæque euenerunt, aut indica-
ta sunt, referamus. Erit autem ope-
ræ pretium prænoscere, quib⁹ è fon-
tibus hæc miraculorum profluxerit
narratio. Tres Oetingæ vetusti ser-
uantur **Commentarii**, membrana-
cei, manuscripti, Germanico sermo-
ne: quib⁹, quæ ab anno MCD LXXXII.
facta sunt miracula, ad annum M D
XCVI II. cum fide annotantur. Pri-
mus septingenta quinquaginta com-
memorat. Alter repetit eadem, qui-
busdam omissis, non paucis amissis,
quæ cum foliis ablatis desiderantur.
Tertio continentur octingenta se-
xaginta duo, quæ ab anno M D
XVII II. ad M D XCVIII. euenere.
Postea Albertus Klöpferus Theolog
D. & Oetingani Canonorum Col-
legii Decanus, ab anno nonagesimo
secundo exorsus, ad millesimum sex-
centimum quartum; & hinc Bal-
thasar Schrenckius de Nozing, The-
ologiae, & sacrorum Canonum D.
Klöpfe.

Klöpferi Successor, ad vigesimum sextum protulere narrationem, typisque expressam publico commiseret. Anno deinde trigesimo septimo excusus est, auctoritate Oetingani Canoniorum Collegii, Miraculorū libellus, quo ab anno MDCXII. ad trigesimum vsque sextum facta recensentur. Quæ ab hoc anno ad quadragesimum tertium proferentur, è Commentariis ac monumentis Oetinganis, dicto Collegio probatis, depromsimus.

CAPVT I.

MIRACVLA

A B

A.C. MCD LXXXIX.

A D

M CD XCV.

I.

PRimam à piâ matre gratiam tulit infantia. Trimulus in profluentem Meronâ prolapsus, cùm semiho-

A.C.MCD
LXXXIX.

mi horæ spatio fluitasset opis inops
 præfocatus aquâ est. Mater, superan-
 te luctum fiducia, ad sacellum Maria-
 num cadauer extractum deportavit,
 aræque imposuit: & ante simulacrum
 Deiparæ procumbens in genua, cum
 aliis, pro vitâ filii supplicavit. Quo
 confestim, admiratione defixis o-
 mnium animis, ad preces reuixit, &
 subinde, procedentibus annis, excu-
 tus litteris, & sacerdotio initiatus
 eam egit vitam, quæ & sacerdotem
 & tanti beneficii memorem dece-
 ret.

II. Oetingani agri colonus, au-
 nam plauastro vectans, in equo sexen-
 nem collocauerat filium. Excussus
 in terram puer vsque adeò rotarum
 per corpus actarum mole obrutus
 est, vt exiguâ in spe agrè hærentem
 traheret animam. Imploratum pro-
 ceo Deiparæ auxilium, votumq; nau-
 cupatum. Postero die sanum vidit
 & miratus est pater, quem pridie in-
 prou-

providè commissum equo propè
perdiderat.

III. Erasmo sylvæ Seiberstorffensis
custodi filius erat bimulus: qui cum
extinctus morbo crederetur, Oetin-
ganæ Virgini ceræ libram pro vitâ
promisit pater. Cum nihil profecis-
set, æquatam cum filii pondere ce-
ram spondit, eumque Deiparæ
vectigalem fecit. Tunc demùm, siue
ex morte receptus, siue ex valetudi-
ne mortiferâ est recreatus.

I. Obsidebat Maximilianus I. Imp.
anno supra millesimum, quadrin-
gentesimum nonagesimo, Neostadi-
um, firmum Pannoniæ oppidum, ab
Vngaris occupatum. Ibi Henricus
Rulko de Pardorff, animo manûque
promptus, in turrim, quâ vim iacula-
torii pulveris magnam condiderat
hostis, factâ cum sociis impressione,
evaserat. Cum oppidani, opportu-
nitatem rei gerendæ nacti, ignem
subiecissent; illicò turris à funda-

A. C.
MCDXCI.

K men-

mentis eruta, cūque ingenti fragore est prolapsa. Milites omnes oppressi, extinctique: solus Rulko, ductor, seruatus est, vixitque sub ruinis inter suorum cadauera dies omnino quattuor. Quoniam verò spes eluctandi nulla præsiidiis in humanis relinquebatur; versus ad diuina, votum profectiois ad Oetinganam Virginem pro vitâ nuncupauit: & voti damnatus, sub motis ruderibus, in lucem emerfit. Ecce autem, quem ferro obarmatum inuoluerat pro-cumbens moles, discussis exutus armis prodiit: & galeæ frustra diffractæ sic hærebant infixæ capiti, vt forcipibus fuerint euellenda. Quæ vitam miraculo seruata, indubitatum faciebant. Menses deinde quattuor cæcus decubuit, videndi acie flammis elisâ. Reddidit eadem cernendi facultatem, quæ reddiderat viu præsepultum. Sub hæc cū abditus carcere, ferroque constrictus,

in lu-

in luctu & squalore biennium egisset; videndam obtulit se Deipara, & exemptum vinculis asseruit in libertatem. Successit morbus, qui carcere & vinculis arctius omnibus captū membrīs, attinuit. Quare Oetingam portari lecticā voluit: vbi salutiferā Virginis manu, vigore membrīs instaurato, sanatus est. quippe sellā gestatoriā illatus in ædem Marianam, finito sacrificio, nullius indigens operæ famularis, in hospitium suis se pedibus retulit. Rem gestam deinde litteris, gentilitio signo munitis, confirmavit.

II. Margaretha, Georgii Bauariæ Ducis filia (quæ postea in Altēhochenaugiensi cœnobio vitam Christo consecrauit) acum temerè per os in palatū demiserat. Eadem parulento apostematis oppressa tumore penè expirauerat. Vtrumque periculum Oetinganæ Virginis beneficio depulsum.

III. Georgius Kalter Hochbüt-
 gensis extinctâ oculi dexteri luce, o-
 mni remediorum adhibito genere,
 nihil promouebat. Oblata fortè per
 quietem Deiparæ species hortatur,
 Oetingæ medicinam oculo quærat
 alibi non inueniendam. Georgius
 oraculo, tanquam inani somni lu-
 dentis imagine, neglecto, multo
 quàm antè, acriore oculorum cru-
 ciatu torqueri cœpit. Rediit tertio
 post nocte Deipara, deque intermis-
 so ad Oetingam accessu obiurgauit.
 Agnouit ille dominæ vocem, prom-
 ptumque ad imperata facienda ani-
 mum ostendit. Ad Oetinganam, in-
 quit Deipara, meam ædem propera-
 opacam illam, virenti in spatio si-
 tam. Quò ubi accessit, clarissimam
 lucem, sopito oculorum dolore, re-
 cepit.

IV. In Curiâ Neuhofensi qua-
 drimus infans iam decessisse vultu
 videbatur. Cùm improvisò reuixit

set, rogavit mater, vbinā loci fuisset?
Respondit, cū ante vix tertiata
verba balbutiret, Oetingæ se fuisset:
ibi restitutam sibi à Deiparâ sanita-
tem. Quam vocem Deo dictante
prolatam id argumento est, quòd an-
te nihil vnquam de Oetingâ inau-
disset.

V. Cæcilie Reichenmeitingeri-
næ, quo die mariti à latronibus tru-
cidati corpus recepit, filius etiam,
nouem natus annos, in conspectu
decessit. Gemino mersa luctu, vi-
dua, & orba, correpto cultro, suo-
rum funera interitu voluntario cu-
mulare institerat: cū præsens, cla-
râ specie, Dei mater: abijce cultrū,
inquit, viuit puer. Paruit Cæcilia,
& illicò ad filium deproperavit: qui
venientem prior compellans: age
mater, ait, Oetingam me duc quàm
ocysimè: etenim diua mater è mor-
te me suscitauit.

VI. Quædā perpetuo fœdarū volu-
pta-

ptatum conflictata irritamento, auxiliis omnibus, conatu casto, consumptis, apud Oetinganam Virginem profligavit virginitatis hostem. Quod beneficium in chartâ defectum aræ imposuit, vulgarique eorum, quos idem premit hostis, bono iussit.

VII. Cùm magnâ in concione publicè mira nostræ Virginis de loco superiore recitarentur; cuius quædam Mildorffensis, conferto in populo assistens, fidem diētis abrogavit, quòd penè Oetingæ in conspectu habitans nihil vnquam earum rerum accepisset. Domum ubi rediit, ea morborum atrocitas temeritatem consecuta est, vt ab omni vniuersa spe deiiceretur. Perspectâ peccati vindictâ, mox ibi medicinam, vbi vulnus acceperat, quæsiuit. Itaque vt primùm facto veniam postulauit, reditumque ad Oetinganum factum promisit, conualuit.

I. Sexennis Benedicti Wegeri filius omnium consensione mortem obierat. Accitus Engelspergensis Curio, ut funeri sacros Ecclesiæ ritus adhiberet; differri tantisper iussit, quoad Oetinganæ Virginis auxilium intentiore studio imploraretur. Quod ubi factum à parentibus, reuiuiscens puer oculos aperuit, & præter vitam, valetudinem integram, tridui spatio, recuperauit.

A. C.
MCD XCI.

II. In pago quodam lupo quinquennem puerum mordicùs abreptum per agrum raptabat, lacerauâtque. Pagani belluam consecrati puerum quidem receperunt, sed vulneribus octodecim foedè laniatum, & omnium sententiâ mortuum. Pater miserâ nece præreptum filium, voto nuncupato, ab Oetinganâ patronâ requirit. Et mox reuixit puer, conualuitque.

III. Vdalricus Peninger, è Salisburgensis Archiepiscopi ministris,

K 4

Oeni-

Oenipontum equo proficiscens, in
 hospitio membris omnibus de im-
 prouiso captus, promissâ Oetinganæ
 peregrinatione conualuit. At pro-
 lato soluendæ sponfionis tempore,
 ludicro in certamine confossus est,
 iacuitque triduum conclamatus. V-
 bi vigor animo rediit, quanquam
 neglecti voti recordatio spem noui
 beneficii poterat excludere; ausus
 tamen ad Oetinganam sospitam su-
 spirium tollere, nondum liberati
 voti prioris fide, nouæ gratiæ debito
 est factus, auxilio rursus impetrato.

IV. Sigismundo Webero ventis
 inuisarum antehac viperarum op-
 pletus examine inusitatam in mo-
 lem tendebatur. Terris inde crucia-
 tibus, & aberratione mentis adeo
 tremâ cum peruenisset; adfuit ei
 Deipara, opem vitamque pollicita.
 si domum Oetinganam supplex ad-
 iisset. Tunc ille animo in stationem
 reposito: O, inquit, mater gratia
 vbi

ubi terrarum illa Oetinga? quid autem sciscitor? perquiram: adibo, quacunq; orbis plagâ sitam cognouero. Cum dicto contremuit totus. & extemplò vyperas versicolores per os complures reddidit: post eas anguem duas longum vlnas. Leuatis eâ peste visceribus, animo corporeque sanitas est integrata.

V. Christianus Ambschlamer, ciuis Wasserburgensis, dum securi glaciem, quæ rotas molendini morabatur, perfringit; in subterfluentem prolapsus aquam, atque sub glaciem abreptus mortem animo præsentissimam voluebat. Emergere nequiquam supremis conatibus laboranti opem attulit Maria, per speciem oblata: quæ capite glaciem elidens, Oetingam deinde properare, & in vulgus enuntiare beneficium iussit. Perfregit glaciem, emerfit, Oetingam profectus palàm Deiparæ beneficium prædicauit.

K 5

VI. In

VI. In alpibus Noricis, quas D. Wolfgangus, Ratisbonensis Episcopus, compluribus vitæ sanctitatisque suæ monumentis insigniuit; prædones terni Joannem Baumgartnerum adorti, spoliatum nudumque alligauerant arbori. Vbi cum iam alterum diem constrietus hæssisset, cœpit opem Oetinganæ Virginis implorare. Tertio, quem supremum sibi dixisse credebat miser, cum enixum precando salutem exposceret; Deipara sub vesperam opitulatum aduenit, exemptumque vinculis Oetingam dimisit.

VII. Accumbebant amici frequentes epulis, & mira Oetingana sermone celebrabant: cum Joannem Lauerus, mensæ minister, omnia, tanquam ex vano iactata, contemnebat. At confestim pœnas recordiæ græues luit, in conuiuarum oculis cæcatus. Ei frater, edito ad Deiparam voto, videndi vsum recuperavit.

nit: ille non multò post iterum perdidit, quòd acceptum beneficium Oetingæ non protulisset. Re igitur hoc tandem anno patefactâ, vigor oculis cernendique vis est restituta.

I. Leonardus Gengerus (quem *A C MCD XCII.* coniectura est sub Friderico III. Cæsare, contra Matthiæ, Regis Vngariæ, reliquias, Austriæ limitem infestantes, meruisse) hastâ per collum traiectâ effusus in terram pro mortuo iacebat. Tres hostium turmæ per iacentem adtq; membra fœdum in modum omnia protriuerant, vitam indubiè exculcaturæ, nisi Oetingana obstitisset Virgo, cuius accersito auxilio præsentis è discrimine saluus euasit.

II. Erat Viennæ in vinculis Conradus quidam, furtorum comper- tus. Primâ nocte vitæ præteritæ facinora cum lacrimis recognoscenti præstò adfuit Deipara: abiectum metu animum erexit: opem vltimam

mum

mum periculi subituro promissa.
 Quâ sponſione inuitatus Oetingana
 profectiois votum nuncupauit, ſi
 id discrimen incolumis exiſſet. Se-
 cundùm hæc, cum neque teſtata ſu-
 ta deſenſionem admitterent, neque
 ſummorum virorum preces ſectere
 ſeueritatem ſententiæ poſſent; la-
 quei ſupplicio in fuream ſublatus
 plectitur. Poſt ſemihoram in Aca-
 demiam illatum eſt cadauer, quò pa-
 teſactum ferro artificem corporis
 humani compoſitionem Medico-
 rum diſcipulis oſtenderet. Ibi dum
 è carro detrahitur à carnifice, de im-
 prouiſo attollit caput. Carnifex e-
 luſam ratus operam ſupplicii, la-
 queo, qui etiam tunc iugulo in hæſe-
 rat, elidere ſpiritum iteratò aggredi-
 tur. Sed repulſus à præſentibus ſu-
 ceſſere iubetur: Medici pauentem ex
 morte Conradum ſectis venis tribus
 recreant. Poſtea, comitante Aca-
 demix miniſtro (Bidellum vocant) mi-
 raculi

Pauculi teste oculato, Oetingam voti
reus accessit, Diuámque vitæ vindi-
cem pro merito est veneratus.

III. Conradus Meringer, ciuis
Burghusianus, ab æde D. Wolfgangi
inalpinâ, quò religionis ergò adie-
rat, cum sociis reuertebatur. Jam
oppido Strasvvalensi propinqua-
bant, cùm, effuso repentè nubibus
ingenti nimbo, sub annosæ pyri se-
ramos conijciunt: & mox ruentis
cum fragore fulminis afflatu humo
cuncti affliguntur. Conradus vstu-
lato dextro latere extinctus iudica-
batur. Paulò tamen post Oetinganæ
Virginis auxilio discessit incolumis.

IV. Lauabatur in balineo infans,
Michaelis Helli filius. Anus cæcutiēs
improuidè bulliētem affudit aquam,
tenerósque paruuli artus fœdum in
modum ambussit. Mirum! decem
ipso dies, sopitis vitæ notis propè
omnibus, decubuerat; cùm voto
Oetinganæ Diuæ pro incolumitate
facto conseruatus est.

V. Fi-

V. Filius Achatii Platneri Roten-
burgensis de sublimi prolapsus ocu-
lum vtrumque eliserat : adhæc lin-
guâ , manibus , pedibûsque captus
neque mouere se , neque verbum fa-
ri poterat. Oculi ter repositi, ter re-
filière. Oetingana patrona malis om-
nibus efficacem admouit curatio-
nem.

VI. Stephani Molitoris Pfarke-
chensis vxor ad riuum lauabat vestes
linteas, trimulo ante matrem obuol-
sante filio. Qui cùm repentè subdu-
ctus esset oculis , mater domum de-
properauit, rémq; marito indica-
uit. Suspicatus ille, nec temerè, tot-
rentis abreptum impetu, diligenter
perquisiuit, ac tandem sub molendi-
no, quâ incitatissima erat rotarum
conuersio, oblitescentem inuenit.
Conclamatum de vitâ erat. imple-
rato nostræ Diuæ auxilio reuixit.

Pauca hinc ad annum vsque M^{CC}
XII. in commentarios relata in-
ueniuntur.

ueniuntur miracula, notariorum indubiè negligentia. Illustre est, quod ad annum nonagesimum tertium commemoratur. Joannes Lohner, cultro per medium collum exacto, ad vltima peruenerat: quidquid enim vel cibi, vel potionis demittebatur, per vtrumque vulnus effluebat: certus adè, interclusis vitæ necessariis, interitus imminabat. Inuocatum est Oetinganæ Virginis auxilium: coäluerè vulnera: officinis recepta suis alimenta incolumem præstiterunt.

CAPVT II.

MIRACVLA

A B.

A. C. MCD XCV

AD

M D.

I.

Cadauum Bohemiæ oppidum, A. C. MCD XCV.
 Gest, haud incelebre. Ibi Petrus
 qui-

quidam cum aliis de furcâ suspensus, extinctis confestim sociis, quadrantem horæ, Jesum continentem ingeminans superuixit; & in oculis multitudinis, nullâ humanâ operâ vinculis, quibus arctè constringebatur, est exsolutus. Manus igitur, quæquam elifas, & à quæstionis carnificinâ inutiles, in trabem, de quâ pendebat, iniecit: impigro deinde relictæ qui corporis nisu in eam se, ad stupescente populo, extulit. Qui arbitrio supplicio aderant iudices, mox relictæ ad Consules retulerunt. qui non tantum reum absoluerunt, sed cum litteris auctoritate publicâ scriptis ad Oetinganam Virginem (cui se vitam debere Petrus affirmavit) dimiserunt.

A.C. MCD
XCVII.

Vnum hoc anno memorabile est Joannis Prukleri filius è nuce præceps ad saxum caput fregerat. Res erat ultra omnem humanam facultatem posita. Auxilium postulavit Oetin.

Oetingana Diua vitam mortuo impetrauit.

De plurimis, quæ hinc ad M. D. annum in Commentariis habentur, pauca, pro instituti ratione, profertur.

I. Magdalena Polvveinia, Stiracinatione, cum manuum, pedumque usu biennium caruisset; ut primum Oetingani itineris votum nuncupauit, explicare manus, mouere gradum coecepit. Ipso in itinere, quod statim ingressa est, prorsus conuuluit.

A. C. MCD
XCVII.

II. Georgius Wildenöder, Passauensis, Danubiū super ripas effusum ingressus equo, fossamque sublatentem inuectus, agi præceps, ferrique fluminis impetu coepit. Socius opitulatum accurrens eodem hiatu excipitur: mox tamen, equo relicto, in tutum euadit. Equo iam utriusque aquis hausto, Georgius ad fundum rapitur. Adfuit opem poscenti Oe-

L tinga-

tingana patrona, iussitque in altum eniti, opem pollicita conaturo. Ea fiducia erigit se Georgius: & in lumbum, brachio correptus, attollitur, atque in siccum deportatur. Non dubitabat, cælo missum nauicularium, utpote nec ante, nec postea sibi conspectum.

III. Othmarus adolescens, Tischiuganus, Sueuus, quinquennium Comitiali morbo conflictatus, cum patre Oetingam profectus est, ab Deo parâ valetudinē impetraturus. Cum nihil tunc profecisset, eodem, matre duce rediit, iterumque repulsam tulit. Bonâ tamen spe cum depelli se non sineret, in conspectum quiescenti venit Misericordiæ mater: & Othmare, inquit, Oetingam repetere sanaberis. Surgit igitur confestim cubitu, & visa auditâque parentibus narrat. Mater itineris se ducem offert. Quò autem liquidius euadent miraculum, prius quàm domo digredere.

derentur, quinquies vi morbi prostratus est. atque hic finis diuturni mali fuit: nunquam enim exinde concidit. Eodem in morbo medicinam eandem adhibuit salubriter, Martini Pretii Cassaliensis, Hassi, coniux: quæ cum foetum manibus pedibusque truncum edidisset partu; ita ab tetro conspectu cohorrui, ut atroci correpta malo, diei noctisque unius spatio tricies prociderit.

IV. Nicolaus Venator, Waldorfii in agro Landishutano seruiens, ut pyrum à veneficâ acceptum comedit; humi procubuit, animo in rabiem efferato, facie in tergum foedè obtortâ, membris omnibus horrendam in speciem elisis. Multis Divorum liminibus frustra pulsatis, Oettingæ sanitatem animi corporisque recuperavit.

V. Arborem vastæ magnitudinis excindere moliebatur Michael Sumperus, Carinthus; cum filia, decem

annos nata, inclinata in casum molli
 successit, & oppressa est. Pater vici-
 ni adiutus operâ, semihoræ spatio:
 grè amolitus arborem, vitæ notam
 in puellâ nullam deprehendit. Ac-
 currit interea mater, & muliebri
 questu cælum implens, boum opi-
 missimam Oetinganæ Diuæ vici-
 mam pro vitâ filix deuouet. Nec in-
 irritum excidit promissio. Decimo
 septimo post die filiam incolumem
 Oetingam adduxit.

VI. Proficiscebatur Oetingam
 è Moraviâ Nicolaus Höler, & Wen-
 ceslaus Schmid. Eos in nemore ad-
 orti latrones duo iubent consistere,
 & vocem compescere. Illi, interclu-
 sis metu verbis, ad Mariam votis ven-
 tuntur: & illicò latrones, tanquam
 furiis acti, in fugam se coniecerunt.

VII. Jacobus Pum, Gamundia-
 nus, aquam in venatione, serpentum
 semine contaminatam hauserat: ve-
 de venter immanem in modum ex-
 tumuit.

tumuit, dirique cruciatus artem Medicorum omnem, industriamque eluserunt. Ut primùm peregrinationis Oetinganę votum animo concepit, horrificã specie, atque insolentã magnitudine serpentes, ferme centum, effudit, dolore simul omni sopito.

VIII. Vitus Fueter, Carniolus, ad supremum vitæ discrimen adductus Venetiis, quinq; Medicis experientissimis, casto labore, curantibus, voto Oetinganę Virgini nuncupato conualuit. Postero anno, soluendę spõsionis negligēs, corruit in plano, tanto impetu, vt sibi delumbatus, penitusq; debilitatus videretur. Verùm simul ac votũ instaurauit; mali sensus omnis euauit. Cùm hinc annus fluxisset, neglecto iterum voto vindicta subiit atrocior. nimirum sic exiit à mente, vt homo, an bellua esset, ignoraret. Reuerso certis temporum interuallis animo, cùm veniam

L 3 denuò,

152 OETINGANÆ HISTORIÆ
deuò, vecordię pœnitens, postula-
set, iterum sanatus est. At contuma-
citer ingratus etiam tunc tergiuerſa-
ri perrexit. Incredibilē hominis ſo-
lilitatem improuiſo morbo ita ca-
ſtigauit Deipara, vt ſacerdotem, ani-
mo ſupremū expiando acciuerit:
cuius cum nulla eſſet copia, ad com-
pertum Oetinganæ matris portum
preces cum omni familiâ direxit; ſi
extemplò præſenti ereptus eſt exitio.
Oetingam tandem abiit, ingrati-
mentis cum gratiâ certantis rarum
documentum.

IX. Joannes Zvaydingerus Ro-
tenburgenſis, Franco, biennium in-
tegrum incognito morbi genere af-
ſictabatur. triduum, quatrimum
in hebdomadas cibi, potionis, ſer-
monis, motus, mentis expers. Vale-
tudinem fruſtra apud Medicos qua-
ſitam piæ preces inuenerunt Oeti-
gæ. Fracta vis morbi in dies: ſanitas
non multò poſt ex toto reſtituta.

X. Pan-

X. Pancratius Haider, Boius, pascendis ouibus folia de betulâ carpens in sudem prolapsus est è septo eminentem: cui sic hærebat infixus, vti speciem confidentis præberet. Vix Oetinganæ Diuæ opem postulauerat; cum sustentari, & veluti fulcris, vtrique subiectis humero, sensit molem corporis excipi. Auulsus inde, domúmque portatus à familiaribus, sacris Ecclesiæ mysteriis ad vltimam luctam munitus est. Vicit, non ex inani, metuentium desperatione Deiparæ beneficium. Conualuit, Pancratius: multisq; testibus fidem miraculo fecit.

XI. Georgius Merle, Heluetius, per deruptas alpium rupes damis insidiatus, eas viarum angustias intrauerat, consectandi studio; vt neque proferre, neque referre posset gradum. etenim ab ipso, quod premebat, vestigio, immanis dehiscebat hiatus, cuius despectu tanta capiti

offiſa vertigo eſt, vt iamiam præcipi-
taturus videretur. Voto profectio-
nis Oetinganæ edito, ita confectima
confirmatus eſt viribus, vt diem no-
ctæmque immotus in præcipiti con-
ſtiterit. Poſtero die, eniſi per ardua
& confragosa aliqui Georgium in-
uenerunt, & incolumem deduce-
runt.

XII. Agnes Schmidin, Auſtria-
ca, à serpente, dum gramen falce me-
teret, icta, veneno per manum in
membra cætera diſfuſo, ſpem vitæ o-
mnem abiecerat. Humanis igitur
diſſiſa præſidiis, ad diuina vertitur.
Opem ab Oetinganâ Diuâ poſtulat.
Sequenti nocte, ingraueſcente cru-
ciatu, Deipara eam inuiſit, vicina
ſpecie: &, vt vales, inquit, Agnes,
ecquid deſideras conualeſcere? Sa-
nè quidem: ſed ſine auxilio malum
eſt. Dexteram deinde poſtulata por-
rexit Deiparæ: quæ eam ſiniſtrâ ſua
inferuit, &, pectus ægrotæ permul-
cens,

cens, ad spem sanitatis erexit, suâ operâ restituendæ. Hic Agnes: ô soror charissima: cur, si quam habes medicinam, adhuc adhibere cunctata es? Quia opem meam nunc tandem postulasti. Sub hæc brachium manumque demulcet. & illicò dolor omnis abstergitur: desinit videri Diua, Agnete quaquaversum oculis eam frustra requirente.

XIII. Conradus Hauser Waibelingæ, Wirtenbergiæ oppido, senator, atrocitate morborum de mentis potestate deiectus, ad supremum vitæ discrimen peruenerat. Videbatur sibi rari à dæmonibus ad inferos: eoque oppressus terrore contentâ voce exclamauit: MARIA OETINGANA, iuua. Quem clamorem cum sustulisset sapius, adstitit, clarâ specie, Deipara; & è Stygiorum carnificum vinculis in libertatem assertum, pallii sui munimento recepit. Mirum erat præsentibus, Oetinganam

L 5 ingemi-

ingeminari Mariam ab eo, cuius ad aures eo de loco nihil vnquam peruenisset. & vnus tantum in vrbe Boius erat, qui interpret esse vocis ignotæ posset. Elapsis exinde septem hebdomadibus, inuocato rursus Oetinganæ Virginis auxilio, mentis vsum recuperavit: amicos agnouit, nec multò post Oetinganam professionem iniuit.

A.C.MCD
XCVIII.

I. Christophorus Reauer, Donauverdanus, horridum in carcerem, quanquam expers criminis, contritus, innocentia patrociniū ab Oetinganâ Virgine poposcit. Obtulit illa se videndam, tantâ in luce, ut atro perpetuâ nocte merso meridies videretur illatus. Quâ re Christophoro non animus tantum erigi, sed membra etiam, quæstionis acerbitate labefactata, cœpere confirmari. Sub hæc nocte quadam custodē, qui cibum ferebat, rogauit, fune demitteret, experiri velle, an absque ministro

stro cœnare posset: nam adhuc alienâ operâ, manibus ab equuleo torpentibus, pascebatur. Quo impetrato, ligneam scutellam diuisit assellatim, partibusque intra muri fissuras defixis, scandendo gradatim ultra iactum lapidis euasit in sublime. Vbi ad ostium vsque, supernè impendens, enisus est, ope Deiparæ deuò imploratâ, caput in trabem prægrandem impulit, eoque impetu lapidis, quo trabs vinciebatur, excussus è muro, exeundi spatium aperuit. Emersus inde Christophorus, dissectis, & in funem concinnatis linteis delapsus in terram, se proripuit.

II. Wolfgangus Pögner, cùm, agitante animum amentia, videretur sibi à lictoribus ad carcerem requiri; de mœnibus vrbis in fossam se deiecit. Ibi cultrum strinxit, &, quàm longus erat, in ventrem adegit. Interea vocem audiit hortantem ad opem Oetinganæ Virginis poscendâ.

Quod

Quod ubi fecit, menti, & corpori
sanitas rediit.

III. Rotengrubii (Austriae pagus
est) lupus puerum, annos natum
duodenos, enecuerat. Iamque di-
midium capitis, & amplius obro-
rat; cum id Ioannem Vngerum, opi-
ficem aduertit. Is stipite correpto in
lupum fertur infestus: incitat se
lupus in pugnam: quæ Ioanni sanè cru-
enta fuit, centum facile vulneribus
belluâ sæuiente acceptis. Itaque iam
proximus exitio auxilium Oetinganæ
Diuæ implorauit. Indemox vires
cum animo sic integratæ sunt, vt fu-
rentem lupum protinus trucidarit.

IV. Erasmus Cocus, variolise-
cæcatus, nouies à Deiparâ, per speci-
em oblatâ commoitus est, Oetinga-
næ peregrinationis conciperet vo-
tum, si videndi desiderio tenere-
tur. Ille itineris magnitudine terri-
tus morem gerere, toties inuiratus,
neglexit. Tandem diuturno cæcitate

tis fastidio victus votum edidit. Aderat fortè diuino sacrificio in templo. Vbi dum cælestis victima spectanda populo extollitur; redit Erasmo videndi facultas. Et mox domum, nullo duce, reuersus, Oetinganum ad iter accingitur.

I. Pilsna vrbs est Bohemiæ celebris. Ibi ciuis hortum emerat, ædis cuiusdam sacræ possessionem. Ad eum misit eum duobus equis Marcum seruum, operi faciundo. Vt primum ad opus equos admouit Marcus; alter tertium ferociter erectus, ad vltimum tanto procidit impetu, vt medius rumperetur. Qui casus vsque adeò seruum perculit, vt hebetatis consternatione viribus, domum fuerit reportandus. Hæsit ei sermo vicenas quaternas hebdomadas, ore in tergum obtorto: & tanto membra tumore tendebantur, vt in vnum digiti globum coäluisse viderentur. Omnibus medicorum victis

cona-

A.C. MCD
XCIX.

conatibus, Deipara ægroto adfuit: & manu pectus permulcens, valetudinem promisit, si peregrinationis faceret Oetinganæ sponſionem. Cum id perlibenter eâ spe facturum se dixisset; Deipara manu blandè faciens, & vnâ morbum omnem absterſit.

II. Sigismundus Schwareggius, Bohemus, cum tribus annis frustra studium omne conatûmque consumpſiſſet in coniuge ab Huſſiticis erroribus veritati Catholicæ aſſerendâ; votum Oetinganæ Virginis ad eundæ pro eâ fecit. Eò dum proficiſcuntur, Pilsnæ contumacia mulieris frangitur: vbi apud P. P. Franciscanos Huſſi deteſtata doctrinam Catholicorum cœtui eſt aggregata.

III. Mauspergii apud Hartmannum de Holnegg degebat Joannes, propinquus genere. Is in turri peruetuſtâ ſomnum capere cum famulo ſolebat: quæ de nocte repente collapsa vtrumque oppreſſit, tam

altè sepeliuit, vt diu ac multùm quæ-
siti non inuenirentur. Coniux Hart-
manni pro Ioanne vorum Oetinga-
næ Diuæ nuncupauit: & ille mox sal-
uus ac integer reperitur, famulus tri-
ginta vulneribus deformatus extra-
hitur: quæ eâdem Diuâ medicante
coaluerunt.

III. Huic æquale mirum Lincii,
in Austriâ superiore contigit. Age-
bat cum opificibus de negotio Ad-
uocati Regii coniux; cum dehiscen-
te sub pedibus pavimento in cloa-
cam omnes, cœno plenam, deiecti,
& materiâ superincidente sunt ob-
ruti. Inuocauit illa tutelam Oetin-
ganæ patronæ: & à marito accur-
rente extracta indemnis
fuit.

CAP.

MIRACVLA

A B

A. C. M D.

A D

M D. XXX.

I.

A. C.
M D.

PRimo huius sæculi anno captum est à Ludouico XII. Franciæ Rege Mediolanum: sequenti ab Ludouico Sforcia receptum. Eâ in expeditione Thomas Turcus, gentis Misnius, sagittâ per caput collumque traiectâ ad vltimum vitæ discrimen peruenerat. Oetingana Diva præsentem opem vocata tulit, ad quam postea saluus, & gratus accessit.

II. Joannes Resch de Pillersee cum vxore rus abierat, domi relicto filio bimulo, dormiente in lectulo. Reuersi inueniunt præfocatum: & septenas omninò horas nullam vitam

notam

notam deprehendunt. Ut primùm
Oetinganæ cum Virgini commen-
dârunt, respirare cœpit.

III. Joannes Gerumb, Campo-
dunensis, in arce Meilberg, quam id
temporis Andreas Graueneggus
possidebat; transcendere in turrim,
contendens, ruptis sublicii pontis,
per quem incedebat, compagibus, in
aream, filicibus stratam, proturbatus
brachia tergumque fregit. Nulla in
medicis erat spes. Oetingana Virgo
implorata malum immedicabile cu-
rauit,

IV. Illustre in primis est, quod
Monachium hoc anno cum admira-
tione spectavit. Quidam rotæ sup-
plicio, perfractis artubus, Monachii
facinorum pœnas expendit. Dum
carnifex ferali fungitur munere, reus
Oetinganæ Diuæ implorat auxilium.
Adfuisse vocanti docuit vita, post
crura, femora, lacertos, dorsum, pe-
ctus, guttur, horrendo concussa im-

M

petu,

petu, superstes. Postero, quàm pe-
 nâ functus erat, die, ancilla cadum
 lactis ferens, Neuhausianâ viâ Monte-
 chium primâ luce properabat: quam
 Joannes è propinquo conspectam
 (obiacet enim viæ supplicii locus)
 petitis altè suspiriis ad se pellexit, ro-
 gauitque, vt rotam de palo subla-
 tam, muro, quo funestus agger cla-
 ditur, admoliretur; & lacte modico
 profligatas immani cruciatu vite
 recrearet. Ancilla, capto miseratione
 ne animo, promptè perfecit petita
 id nè fraudi sibi esset, silentio texta
 Joannes inde, instaurato nonnihil
 vigore, adrepsit ad urbem cum rota
 Rem permiram ciues ad senatum
 deferunt. mittuntur qui ad valetu-
 dinarium publicum deportent: no-
 gotium medicis chirurgisque datur
 qui sedulam membris curationem
 adhibeant. Sanatus Oetingam de-
 scendit, & rotam mortis instrumen-
 tum, ad vitæ suæ vindicem attulit.

Ab

Ab hoc anno, in subsequentes non paucos, miracula & rara, & à prioribus non abhorrentia in Commentariis habentur. Quare nemini videatur inconsultò factum, si quosdam in posterum, à notariorū diligentia desertos, omninò præteribimus.

I. Petrus Piscator Viennensis cum socio, nescio quid operis moliebatur in Danubio; cum lembus, negligenter sepositus, secundo flumine fertur abreptus. Petrus prope- rè fugientem insecutus, ter mergitur. Actum de eo, & lembo erat, nisi Oetingana Virgo inuocata utrum- que seruasset.

A. C.
M D IV.

I. Joannes de Taich homicidii si- de accersitus Ratisbonæ, & iam ter- ac decies equuleo distentus, extre- mum immeritus supplicium operie- batur. Exclusus ab omni humano auxilio Oetinganam Virginem suæ causæ patronam legit. Pridie fatalis diei, factâ insperatò clauium copiâ,

A. C.
M D XVII.

166 OETINGANA HISTORIA
& catenarum, & ostii seras aperuit
atque per sex vigiles altissimo sopore
mersos erupit.

A. C.
MDXIII.

I. Joannes Hueter, cuius Trospat-
genfis, equo propè oppidum Kiz-
hel fluuium ingressus, aquarum im-
petu voluebatur, tertium proturba-
tus, nullâ eluctandi spe. Semian-
in conspectum se obtulit Deipara-
fortique animo esse iussit. Ille mo-
Oetinganam peregrinationem vota
signauit: & iam multò audentior
equo se in amnem, quamuis natans
imperitus, deiecit, ac saluus in ripa
expulsus est. Paulò post equus cum
sarcinis eodem adpellitur. Sunt
alii hoc anno ab Diuâ nostrâ seruati.
Puella saxo trecentorum pondo ob-
ruta. Alia à vespere in subsequenti
diei meridiem, nullo viuentis edim-
signo, è lethali stupore suscitata.
Quidam cum sanguine septem horis
per nares profluente animam effu-
surus.

I. Cor-

I. Conradus Clas de Tresling ^{A. C.} ^{MD XIX}
 quartum iam annum acerrimis con-
 flictabatur cruciatibus; cum uxorem
 per somnum hortata est Deipara, pro
 mariti valetudine peregrinationem
 Oetinganam promitteret. Rem-
 maritus narratam ut somni ludibri-
 um contempsit. Hordeum in agro
 metenti rursus in conspectum venit
 Deipara, & itineris Oetingani negle-
 ctum obiecit. Tunc verò profi-
 ciscendi votum edidit: & unà mari-
 ti dolores sunt sopiti. Cum ingratus
 itineris copiam facere uxori nollet;
 omnis dolorum vis recrudit, quo-
 rum acerbitate victus opem Oetin-
 ganæ Virginis iam ipse imploravit;
 & extemplò conualuit.

II. Anna Joannis Rufsleri Geg-
 gingenfis vxor à partu tantam in mo-
 lem extumuerat, ut oculi protinus
 obruti non conspicerentur. adhuc i-
 ra discesserat à mente, ut agirari Fu-
 niarum tædis videretur. Trimestre

iam tempus tetro exercebatur malo
 cum ei cæli Regina, virginum cœtu
 stipata, in conspectum venit, ad Oe-
 tinganam ædem adeundam cohæ-
 tans. Secundùm hæc mens redit,
 corpus detumuit: factaque peregrina-
 tionis Oetinganæ sponfione vale-
 tudinem integram recuperavit.

A. C.
 M D X X.

Hoc anno M D X X. pio populo-
 rum desiderio consultum est, peditis,
 & per ambitum sacelli exteriorum
 suspensis miraculis: quæ hodieque
 visuntur, argumenta celebris apud
 veteres famæ, nobis noua beneficia
 postulandi inuitamenta. Neque
 sterilis hic annus Marianorum fuit
 munerum.

I. Dorothea Stöcklerin decem
 dies cum enixu conflictata, periculo
 præsentem intentante mortem, au-
 xilium nostræ Diuæ implorauit, sub
 uamque prolem edidit. Quattuor
 exinde annis infœcunda, ubi Oet-
 ingam religiosè adiit, prolem conce-
 pit:

pit: quam non acceptam modò, sed & seruata[m] Deiparæ deberi, mater iudicauit. etenim cùm nocte obdormisset in lecto, complexu fouens infantulū, neglecta ad latus lucerna non stragula tantum corripuit, sed ipsum adeò dormientis indusium exussit. Indemnista[m] enim cum prole surrexit.

II. Joanni Beliebio morbus ita neruos habetauerat, vt annis omnino viginti quattuor ægrè moueret gradum, & in his vltimo biennio non sine fulcimento. In eam tandem conditionē Oetinganæ Virgini voto se obstrinxit, si vigorem motumq; membr̄is redderet, nunquam ea in posterum saltatione profanaturum. Postulati compos annos ab eo tempore vnde viginti perbene valuit. Postquam ad choreas, promissionis immemor, rediit; ad grallas iterum damnatus est, Deiparâ iustas violatæ fidei pœnas exigente. Ve-

rùm quòd placabiles matris iras esse non ignoraret, Oetingam proficisci iussit, pro veteri beneficio deum supplicaturus. Mirum ! ipso itinere vires redintegrantur. Quapropter grallis in humeros coniectis validus Oetingam peruenit : grallas beneficii monumentum ibidem suspendit.

III. Erasmus, Joannis Molitoris Eggenfeldensis filius, transuerberato, petulcæ bouis cornu, gutture, cum sanguine vitam effuderat. Oetinganæ Virginis, voto precibusque vocatæ, auxilio reuixit. Cùm promissi fidem liberare cunctarentur parentes; denuntiavit matri Deipara, Erasmus, nisi Oetingæ sibi sisteretur, præcipitem abiturum in puteum. Quam comminationem quoniam maritus à coniuge monitus non habuit; filius in puteum est prolapsus. Accurrit in tempore ancilla, extraxitque saluum. Nou
exci-

excitati beneficio parentes Eras-
mum Oetingam adduxerunt.

I. Melchior, trimus puerulus Jo-
annis Kunzleri de Walstat filius, ma-
trem, quæ messum exierat, quæsitu-
rus, cum foras progressus viâ diuer-
tisset, densum nemus intrauit. Mater
ex agro domum reuersa, filio non in-
uento, cum vicinis ad perquiren-
dum excurrit. Omnis circâ locus
quàm diligentissimè lustratur: tridu-
um totum feruet indagandi labor:
nusquam apparet puer. Ad extre-
mum Oetinganæ Virginis opem, vo-
to nuncupato, postulant: & mox diu
frustra quæsitum reperiunt.

II. Sixtus Leslerus, de Schrob-
husianâ Præfecturâ colonus, duobus
plaustris fœnum ad villam conuehe-
bat; cum desubitò procellosus tur-
bo miscere omnia: villas ac horrea
eximo vertere, arbores ab radicibus
conuellere, puluereâ nube cælum
diemque inuoluere. Seruus consili-

M s um

A. C.
M D X X I.

um ex re capit: sub plaustrum se con-
 iicit. Sixtus equum meliorem ab-
 iungit, & properè sub annosam abre-
 ptum arborem ad ramum deligat.
 Finem ibi sævæ tempestatis ex-
 ctans audit ruentium fragorem casu-
 rum: videt vento sublimè ferri tecta
 par exitium suis tuguriis ominatur.
 Inter hæc arbor, quâ se tectum tu-
 tumque credebat, immani cum fo-
 nitu procumbens equum obruit.
 Aufugere hinc, & ad seruanda, que
 domi erant, contendere volenti ob-
 stitit seruus, acclamans, ad alterum
 potiùs plaustrum perfugeret, neque
 præsentem se periculo permetteret: de-
 bere vitam rebus esse potiotem. Dis-
 sidens ipse à se, & quid potissimum
 sequatur, non explicans: O mater
 Oetingana, exclamat, vitam remque
 meam serua. adibo cum dono sa-
 cram ædem tuam: itineris laborem
 pane & aquâ tolerabo. Dixit: & ec-
 ce, ramis incumbentis arboris extri-

catus

catus prodit equus: moxque, fracto procellæ impetu, clementior æther. succedit.

I. Schvazii, opulento lautóque Tirolis oppido, centum ferme vectores, Oetingam nauigaturi secundo Oeno, pro pridie Pentecostes soluerant. Postero foeda procella, repente coorta, nauem in Craiburgensem pontem vi tantâ impulit, vt, per fractâ carinâ, impetu introrumperet aqua, iamq; præsentem omnia mortem cohorti piæ intentarent. Adfuit Deipara opem in supremo discrimine poscentibus. Omnes seruari Oetingam appulerunt, & grati magnitudinem beneficii prædicârunt.

II. Eodem anno Paulus Eisenman, itidem Schvazensis, obstupfactis apoplexiâ membris omnibus mouendi facultatem recuperavit. Alius pestilentia liberatus. Vulnibus alius tredecim laniatus: alius ense

A. C.
MDXXII.

ense perfoffus, medicante noſtra Di-
uâ, curatus. His paria tulit annus ſub-
ſequens, vigefimus tertius.

A. C. M D
XXIV.

I. Leontii cùm parer filium infe-
lici caſu in damarum venatione op-
preſſum, ſummâ hyeme, per oppleta
niuibus montium iuga quæreret; in-
hospitali in loco pernoctare coactus
eſt. Seruauit ex interitu certiffimo
noſtra Diua, precibus conciliata, vi-
talem ei calorem mediis in niuibus
fouendo.

A. C.
M D XXV.

I. Bello Salisburgenſi inteſtino,
quod Archiepiſcopo agreſtes moue-
runt, exempli contagione à Sueuicis
per Germaniæ prouincias latè vulgi-
tâ; captus & in carcerē contruſus eſt
Chriſtophorus Prukmoſer, Raura-
cus. Hunc per quietem horrata
eſt Deipara ad nuncupandum Oetin-
ganæ peregrinationis votum. Vt
primùm admonenti paruit, omni-
bus exſolutus vinculis in libertatem
eſt vindicatus.

I. Ena-

I. Enatauit è Lyco Paulus Pistor, *A. C. MD*
XXVI.
 in quem cum equo de ponte Kauff-
 ringano præcipitauerat, populi spe-
 ctantis conclamatione depositus.
 Michaël Brunouiensis Ianio infelici
 casu exanimatus reuixit, & prorsus
 deinde conualuit. Fœmina tridui
 nixu conflictata, cum voto prolem
 edidit.

I. Wolfgangus Maurpeck, Wilhel- *A. C. MD*
XXVII.
 mi, Bauariæ Ducis, Symphoniacus,
 ancipiti oppressus morbo, Mona-
 chio Wasserburgum ad sororem por-
 tari voluit. Ibi cum septimanis o-
 mninò sex, labente in dies valetudi-
 ne, ad vltima peruenisset; & iam ne-
 que cibum caperet, neque præsentem
 noscicaret; ac tandem etiam extin-
 ctus crederetur; à sorore commen-
 datus est Oetinganæ matri. Nec mo-
 ra: aperit oculos, respirat, paulò post
 conualescit.

II. Cum Ioannem Waizenrieder
 è Curiâ Schirensi grauis morbus ad
 extre-

extremum vitæ compulisset; oblata per speciem Deipara; Ioannes, inquit, vitam proferre desideras? Desidero equidem, respondit: sed actus est de vitâ. Tunc illa; nequaquam, inquit: age, execrationes Numinis desuesce: sanaberis. O domina, metuo vt possim. Imò erectior esto. Oetingam aditurum mihi sponde, & conualesces. Fecit, conualuit.

III. Sylvester Sailer, de Stockdorff, quod liberare promissum, quouis triennio visendi Oetinganam Virginem, neglexisset; acri pleuritide mulctatus, dies noctesque per summos cruciatus exigebat. Perspectâ morbi causâ, instaurauit votum: dolor euauit.

IV. Leonardus Felbmair de Tegenbach tam sæuâ furebat amentia, vt infantem ipse suum pedibus proculcasset. Effulgente aliquando è tenebris animo, de implorando Virginis Oetinganæ auxilio monetur. Quod
vbi

vbi fecit, sanitatem ipse mentis, infans corporis est consecutus.

I. Michaeli Kolen, Stiro, in carbonariâ opus facienti fortè procumbens arbor sinistrum crus bipertitò diffregerat. Cùm supra menses octo graùiter iacuisset; Oetinganæ tandem Virgini votum nuncupauit, iter, grallis humeros effulcientibus, ingressus, ingenti cum labore in agrum vsque Oetinganum processit. Ibi modicâ refectus quiete, dum surgit, sanum se miratur. Itaque fulcris in humerum sublatis gratus ad sospitam suam accurrit.

A. C. MD
XXVIII.

II. Eodem anno, locum ad eundem Bauzano iter intendens Stephanus Sporerus, lethalia quinque vulnera à latrone accepit. Quibus, ope Deiparæ, non multò post sanatis, Oetingam peruenit, gratâque commemoratione beneficium prædicauit.

I. Anna Braunin, Pfaffenhouensis,

A. C. MD
XXIX.

sis, Boia, Ferdinandi I. Imp. castra se-
 quebatur, in Solimanum, ingenti
 cum exercitu Viennæ assidentem
 mouentis. Budæ à Turcis capta
 dum secundo Istro defluit hostili na-
 uigio, votum nostræ visendæ Virgi-
 nis pro libertate facit. Jam centum
 millia passuum processerant, cum so-
 minus Turcarum altissimus vigilans
 in suam salutem effugiendi viam
 peruit. Itaque per occultum egressu
 nauis cauam in arborem se conie-
 cit, ibique triduum impasta oblitus
 elusâ Turcarum, curiosè profugam
 perquirentium, diligentiam. Iter sub-
 inde quinque dierum emensa nemi-
 nem omninò mortalium conspexit.
 Incolumis tandem Oetingam, sua
 salutis portum, appulit.

II. Ad Cellas figulorum Passau
 Antonius Pez, Augustanus, de cere-
 so præceps, ramo, cui insidebat, in-
 terrupto, palo exceptus est, è sep-
 timento altiùs eminente, vulnera
 mamil-

mamillis per guttur erumpente. Desperato in præsens humano auxilio, Oetinganę Virginis auxilium implo-
 ravit. Fluxit hora, donec rusticum prætergredientem conspexit: qui ac-
 cersitus palum ab imo rescidit. An-
 tonius reliquo transfixus domum
 reuertit: vbi sacris procuratus Deo,
 & Medico salutem suam permisit.
 Conualuit tandem, seque cum palo
 Oetingam attulit.

CAPVT IV.
 MIRACVLA

A B
 A. C. MDXXX

A D
 M D. LXX.

I.

SEXENNIS puella, Viti Textoris
 HOCHENVVARTENSIS filia, de sca-
 mmo prolapsa, cultrum, quem
 manibus tractabat, altè immerferat
 oculo. Quo extracto, commendata

A. C.
 MDXXX.

N

Oetin-

Oetinganæ Matri, nec valetudinis detrimentum cepit, nec videndi vim habet atam sensit.

A. C. MD
XXXI.

I. Wolfgangus quinquennis puerulus, Joannis Lederii Styri filius, fluuio merfus horis omnino tribus latuerat. Alius ad eam vitæ desperationem peruenerat, ut senas hebdomades ardens cereus, ritu Catholico manui inferendus, in promptu continenter esset. Sæpe etiam presentibus mortuus videbatur, Vtremque Diuæ nostræ inuocato auxilio seruatus.

A. C. MD
XXXII.

I. Hoc anno (quo Ferdinandus Imp. Viennæ obsidionem soluens Turcas coëgit) Fernizii capta Christiana mulier Constantinopolim adducta est. Cum in custodiâ partem edidisset, eam Deipara, conspecta oblata, recreauit, libertate promissa Oetinganam si peregrinationem sponderet. Factâ sponione, cum triduo post è captiuis Christianis qui è carcere profugissent, eosque

Tur-

Turcæ persequerentur, Agnes (id eius nomen proditur) reliquis auctor fuit, ut ipsi quoq; fugâ sibi consulerent. Probato consilio, dum fugam ineunt, obijcitur festinantibus turris, cuius porta pessulis tribus ferreis egregiè muniabatur: qui, mirum dictu, referante nemine, reiecti libertatis viam captiuis aperuerunt.

II. Joannis Bauzanensis mercatoris vxor Brixinam, onusta mercibus proficiscens à latronibus excipitur, & spoliata ad arborem deligatur, baculo in os contruso. Jam triduum constrieta hæserat; cum animus cogitatio subiit Oeringanæ Virginis inuocandæ. Quod simul ac fecit; vincula vltro soluta deciderunt: & illa, deficiente animo, collapsa est. Duodecim inde dies cibum capere nequit, ore foedè exulcerato. Integratis viribus, Oetingam accessit, & patronæ salutem suam est gratulata.

III. Catharina, Georgii Schmid
Maukirchensis filiola, de scalis præ-
cipitans cerebrum eliserat: iamque
lethali frigore horrebat. Deipara
parentum lacrimis votisque permo-
ta vitam produxit infanti.

A. C. MD
XXXIII.

I. Cùm sub hæc tempora Turæ
vicina Styriæ inferioris incurfarent,
Vispacensis Parochia Oetingana
virginis præsidio se tutata est. Etenim
voto pro incolumitate communitatis
facto, nihil ab immani hoste deri-
menti acceperunt. Quod beneficia
um piâ supplicatione Oetingana
longo itinere, ductâ sunt professi.

A. C. MD
XXXIV.

I. Antonii de Peffenhausen filii
(erat is arcis Burghusianæ præfectus)
cùm in cultrum temerè incubuisset,
à parentibus Oetinganæ Virgini de-
vota est. Euulso deinde cultro, san-
guinem se, omnique immunem dolorum
puella edixit.

II. Magdalena, vxor Joannis Mo-
litoris de Sigharting, vicina partu
domum

domum è peregrinatione Roten-
mosensi repetens, à procis duobus
de flagitio est appellata. Quos cum
magno castoque animo repulisset;
tam scœuiter ab vño vapulauit, vt le-
cto diu fuerit decumbendum. No-
stra Diua precibus inuitata, & par-
tum facilem & valetudinem virtutis
causâ ægrotanti impetrauit.

III. Iuuenis quidam à Turcis ca-
ptus, & in Pannoniam inferiorem
abreptus, omnia barbari carceris in-
commoda, plùs annum, quinque
cum sociis pertulerat. Dicta demum
supplicio dies, cum rebus ab huma-
nis præsidii nihil ostenderetur, ad di-
uina captiuorum animos excitauit.
Deiparam inprimis suæ causæ patro-
nam precibus votisque fecerunt. Et
ecce! pridie fatalis diei, noctis silen-
tio, diuinitùs exsoluti vinculis o-
mnibus è custodiâ salui profuge-
runt.

IV. Leonardus Kneff Schrobena-
husia-

184 OETINGANÆ HISTORIÆ
husianus depulsus debebat Oetinganæ Virgini exitiabilem mortuum.
Quòd verò animum voti religionem
exsoluere sex ipsos annos neglexisset; ita recrudit malum, vt ab omni
spe vitæ deciderit. Monitus à Deipara
de voto, simul id repetiit, morbo ite-
rum est liberatus.

A. C. M. D.
XXXV.

Valentinus Wartinensis, Carnio-
lus, è templo domum repetens deru-
pto ex monte præceps abiit, iacuitque
in posterum vsque diem sensibus a-
lienatus. Cùm fortè captarius san-
guine perfusum inuenisset; ratus, à
latronibus vulneratum, commouit.
Tunc Valentinus, redeunte cum
sensibus animo, Oetinganæ Virgini
opem implorauit: & incolumis su-
rexit.

A. C. M. D.
XXXVI.

I. Dionysius Carantanus, fossor
ærarius, quod rixæ interfuisset, carceribus
ab alio patratæ, per iniuriam delatus,
semestre tempus vinculis ad supplicium
attinebatur. Et iam supremus
aderat dies; cùm ei se Deipara in-
con-

conspectum dedit, & ad votum Oetinganæ peregrinationis edendum, est cohortata. Paruit. & mortem iam comparatam effugit, in libertatem assertus.

II. Wolffgangi Hatti, cuius Frisingensis filia tam graui lapsu in terram ex alto deciderat, vti de vitâ ab omnibus esset conclamatum. Vsque in decimum tertium inde diem sermonis impos iacuit. Commendata sub hæc Oetinganæ Virgini valetudinem cum loquendi facultate recuperavit.

III. Eiusdem patrocinio Nicolaus Reitermair à latronibus in nemore ab tergo coortis prostratus, iamq; vltima passurus vitam seruauit.

Ab hoc anno ad sæculi huius septuagesimum vsque pauca quædam, & adhuc commemoratis persimilia in fastis Oetinganis inueniuntur: siue id notariorum negligentia factum est; siue, gliscente per inferiorem, Boicam nouâ Lutheri superstitione,

Oetingæ adeundæ studium refrixit,
fontesq; diuinorum beneficiorum
clausi sunt; donec Alberti, religio-
sissimi Principis, constanti virtute,
repurgatâ prouinciâ, antiquus De-
paræ cultus est instauratus.

CAPVT V.

MIRACVLA

A B

A. C. MDLXX

A D

M D LXXX.

I.

A. C.
MDLXX.

ERat in familiâ Marci Fuggeri,
omni fortunæ indulgentiâ, ita
virtutis, ac præcipuè religionis
veræ studio clarissimi dynastæ, puella
nobilis, Anna Bernhusia. Quæ cum
iuuenili sermonis licentiâ consuèta
suam dæmoni salutem deuouere, ad
fidem dictis asserendam, nullo veri
falsique discrimine; septeni tandem
apertum frequenti inuitatione ho-

spitium introruperunt. Augustæ
Vindelicorum ad aram D. Vdalrici
eiectis aliis, vnus excedere con-
tumaciter detrectauit: eamque pos-
sessionem annis octo tutatus, nihil
Tartareæ crudelitatis in afflictandâ
virgine prætermisit. Sub hæc con-
spiciendam miseræ se obtulit Mife-
ricordiæ mater: &, si barbarum ho-
spitem cuperet exturbatum, Oetin-
gam Veterem proficisceretur, hor-
tata est. Eâ causâ Marcus Fuggerus
cum coniuge, P. Petro Canisio, An-
nâ Bernhusiâ, cuius res agebatur,
iter Oetingam intendit. Quò cum
ad duodecimum Calend. Februarii,
quamuis sero diei, accessissent; non
aliud prius, quàm sacrum Deiparę te-
ctum subierunt, patronámque Lita-
niis, quas Lauretanis vocant, conci-
nentibus Musicis, salutârunt.

Postero die (qui fuit vndecimus
ante Cal. Februarii) quò ad opus
arduum confirmatis purisque men-

N 5 tibus

tibus accederetur; Marcus Fuggerus in sacrâ Virginis aomo, cum coniuge, comitibusque peccatorum confessione expiatus Eucharistiam accepit, præbente Canisio; interque sacras liturgias piis precibus pro felicitate cum immani hoste conflictu supplicavit. De meridie primum in sacello Mariano cum dæmone certamen est initum à Canisio. Qui principio aptis in rem præsentem sermonibus animum virginis erexit, sponsionemque Deiparæ, non multò antefactam Augustæ, in memoriam reuocavit. Tunc prouolutus in genua certas preces, voce clarâ, solus: Litanias Deiparæ, cum præsentibus recitavit. Vbi ad gloriosas Mariæ Sanctæ, ac Dei Genitricis appellationes peruentum est; tunc verò in rabie incitare se dæmon, disertis verbis detrectare obedientiam, ac subito puellam feroci impetu supinam humo applaudere. Cùm Marcus ipse me-

diam

diam validè complexus coërcere conaretur; vim sævientis hostis, etiam vxore, Canisio, ac alio quodam sacerdote connitentibus, ægrè sustinuit. Hic Canisius dæmonem sacris Ecclesiæ carminibus (Exorcismos vocamus) premere exorsus, iussit edicere, quotus ipse puellam insideret, & vnde eò aduenisset. Respondit voce horridâ, verbisque laborante spiritu vacillantibus, solum se de septem commilitonibus superesse, & eò impetum soli omnem ferendum: neque ignorasse, has sibi ad aras excedendum: satiare proinde genium puellâ probè excrucianâ ad extremum velle. Roganti Canisio, quoties eam vexare porrò destinasset? vicies quater respondit: septies parentum, septies dominorum, quinquies Fuggericæ gentis causâ: ac tandem præterea quinquies. sic imperatum à Deo. Et cum dicto corseptam puellam in altum
 extu-

190 OETINGANÆ HISTORIÆ
extulit, tantâque in solum violentiâ
deiecit, & membra vsque ad cœ-
maniter contendit, vt quinque ho-
mines, omnibus obnixi viribus agere
cauerent, nè ad pavementum peni-
tus contunderetur. Septies, nulla
intermissâ morâ, hunc ad modum
iactata est. Admoto deinde ad caput
virginis peruetusto Deiparæ signo,
impurus genius saliuam præsentibus
insputauit, horrendûmque vocife-
rans: absiste, ait, meretrix (Regiæ
virginum contumeliosi verbi labem
asperfit) absiste tam inclementer
calcere. Cùm sæpius inter hæc Ca-
num excoriatorem appellasset Cani-
sum, respondit hic: ego tibi pellem
diripiam, Cerbere. Interrogatus
deinde, quando cedere loco vellet
postulauit, vel eo temporis puncto
migrandi sibi copiam fieri. Subiecit
Canisius, non id in suo, sed Dei, De-
paræque positum arbitrio. Cras igitur
ait, erumpam, pœnis, quas
hanc

hanc constitutas heri dixi, obfaturus. Postero die, horis antemeridianis sacrificando precandóque de-
nuò exactis; sub vndecimam repeti-
ta est pugna, ad pridianum ferme
modum. vbi rursus dæmon ad ver-
sum illum Litaniarum (Sancta Maria,
ora pro nobis) obturbauit. Cùm
verò non intermitterentur preces;
tantam in rabiem exarsit, vt puellam
terrifico cum clamore præcipitem in
tergum supinârit. quò factum, vt
Marcus Fuggerus iterum complexu
prehensam attinere viribus conten-
deret, quò faciliùs furentis impetus
compesceretur. Hîc Canisius, redin-
tegrato certamine, quamuis impi-
grè, frustra tamen premit hostem,
imperia deridiculo & facetiis elu-
dentem. Jámque diei medium erat,
cùm omnem in pœnas virginis cru-
delitatis conatum effudit, commise-
rescentibus, & horrore defixis præ-
sentibus: qui affirmabant, minutim
fuisse

fuisse lacerandam, nisi diuina Deipa
 raque voluntas tortoris sauitiam
 fregisset. Puella septies continen-
 ter excruciatâ cecidit exanimis. Red-
 dito quartam post horæ partem ani-
 mo, si quid menti fuisset obiectum
 interrogata, respondit placidè, De-
 param sibi visam, binis caelestibus
 stipatam geniis: eorum alterum do-
 cuisse, quinquies porrò excarnifican-
 dam: nihil postea quarendum et
 dæmone: sed adigendum imperio,
 quinquies vt *Pater & Aue*, pro-
 ctus in genua recitet: osculum ter
 septies figat: iactata in Deiparam
 probria recantet. Quibus à puella
 narratis, consurgunt omnes: Canis
 us in medium sacelli procedere
 dæmonem, & imperata confestim
 exequi iubet. Prodiit ille, sed ante
 sus aræ constitit: at, Canis impo-
 rante, conuertit vultum, formidat
 do vlulatu poenarum atrocitatem
 testatus; neminem vnum dæmo-
 num,

num à vicenis annis, tam immaniter
excruciatum. Vrgente rursus ad im-
perata facienda Canisio, porrectis in
crucis effigiē puellæ brachiis, affatus
astantes: en, inquit, Christiani: nos
dæmones parêre Deo, eiusque ma-
tri cogimur: vos obedientiam de-
trectatis. Tunc genua submittens
precationem Dominicam, cum sa-
lutatione Angelicâ septies pronun-
tiauit. In initio Dominicæ precis,
Pater noster, qui es in caelis; subiun-
xit hæc verba: *In honorem primi vul-
neris Seruatoris Iesu Christi.* repeti-
tam inde precationem reliquis dein-
ceps vulneribus dicauit. In Angeli-
câ salutatione cum Gratia plenam
dixit, hæc addidit: *Gratia tua, &
misericordia sit cum omnibus, hoc
venerando in templo presentibus.*
Tandem ita finiuit: *O Maria, mater
Dei, ora pro eis.* Sub hæc amplissi-
mam

nam Deiparæ laudationem exortu
 omnium animos admiratione
 cundia complevit. Discessum ma-
 turare cum iussisset Canisius, respon-
 dit ferociter, septena prius oscula
 terræ libanda. Quo facto, roganti
 causam osculorum Canisio: necesse
 inquit, erat, honorem instaurare
 Deiparæ, quem iactandis conuictis
 impiè læsi. Tunc puellam in altum
 sustulit, & post inconditam proli-
 xamque vociferationem, horam in-
 tra secundam & tertiam pomeridie
 nam excessit. Mox actæ communi-
 ter Deo gratiæ: Canisius adhorta-
 tione piâ, è gesto negotio, præsentis
 capere fructum docuit.

A. C.
 MDLXXI

Hoc anno (qui luctuosus Cypri
 ab Turcis captâ, & iisdem ad Naupa-
 etum ingenti prælio nauali superato
 lætus Christianis fuit) hæc in Con-
 mentarios relata sunt.

I. Bartholomæus Eifenschmid
 Weilhaimensis cernendi vim, quæ

ex toto perdiderat, recepit. Joanni Hauptmanno, Monacensis aulae co- co trimestres capitis sopiti crucia- tus. Joannis Grimii coniux Barbara à morbo sæuissimo delirans corpore animoque sanata.

I. Catharina Peifferina Ingolsta- diensis nostræ Virginis ope lethali apostemate rupto, seruata. Nobilis vir Joannes Westacher morbo ad ex- tremam deductum filium recepit so- spitem. Ad mentem, vnde deliran- do exierat, rediit Elisabetha Torne- rin, ciuis Burghusiana. Quæ subin- de, neglectâ promissi fide, iterum mente capta est, donec voti se vincu- lo exsoluit. Paria tulerunt anni se- quentes, ad annum vsque septuage- simum septimum: quo Martinus Ei- sengreinius, Præpositus, & scriptor Oetinganus, non leue curarum atq; diligentia pretium à patronâ conse- cutus est. Is tunc Ingolstadii acerrimis articulorum doloribus ad mor-

A. C. MD
LXXII.

A. C. MD
LXXVII.

A. C. MD
LXXII.

O tem

196 OETINGANÆ HISTORIÆ
tem iacebat. Quòd verò nondum
satis constituisse suis de rebus sibi vi-
deretur; in annum produci vitam
postulavit à Deo, Virgine Oetinga-
nâ ad causæ patrociniū vocatâ.
Petiti compos anni orbem implevit,
rebúsque compositis vitam finivit
A. C. MDLXXIIX. III. Nonas Maias
vel, vt alibi annotatum, IV. vir litte-
ris & virtute in primis clarus. Quæ
exinde ad octogesimum vsque an-
num in Commentariis habentur,
cùm diuersa iam dictis non sint, præ-
termittenda duximus.

CAPVT VI.
MIRACVLA
AB
A. C. MD LXXX
AD
M DC.
I.

A. C. MD
LXXXI.

Philippi Menzelii coniux (erato
Menzelius Poëta, ex comment-
to, laureatus, & Medicus Ingol-
stadien-

Stadiensis Academiæ celeberrimus) triduum integrum parturiebat nequicquam, tanto cum labore, ut supremus ei dies, & proli fatalis pro natali adesse videretur. Vtrique saluti fuit, quæ salutem orbi peperit, & Oetingæ multis impertiit. Eadem ab limine mortis reuocauit Elisabetham Artmoniam: Christophorum Schaidenreisserum, vectigalib⁹ Ampfanganis præfectum, lentâ phthisi tabescentem sanauit.

I. Wolfgangus Abbas Labacensis Margarethæ sorori, iam extremum spiritum ducenti, voto Oetinganæ Virgini factò, vitam protulit. At exsoluere se vinculo religionis cunctatus; dum Viennam proficiscitur, lethali oppressus morbo ab omni vitæ spe decidit. Id voti neglecti vindictam interpretatus, instaurat promissum, nouumque pro suâ incolumitate nuncupat: & extemplo conualescit.

A. C. MD
LXXXII.

A. C. MD
LXXXII.

A. C. MD
LXXXII.

A. C. MD
LXXXVII

I. Complura ad annum vsque Octogesium septimum, superius enumeratis paria, in fastis habentur ad hunc annum MDLXXXVII. pertinet Maria Catharina, Ioannis Frederici de Preising filia, annicula, certæ morti exempta. Acum prælongam temerè iacentem cum sustulisset, lusitans que manibus tractasset, etiam naribus inseruit; &, reciprocante spiritu, tam altè hausit, vt nihil ab arte præsidii speraretur. Commendatur salus infantis Oetinganæ matri. acus, cum quatrimum hæisset, sine dolore ac damno refixa effunditur.

A. C. MD
LXXXVIII

II. Simillimum est, quod anno sequenti Joanni Christophoro de Dachspurg, trimulo euenit. Acum demiserat in fauces, eratque vitæ discrimen præsentissimum. Supplicavit nostræ Diuæ nutrix pro infante. Triduo post acum indemnis eiecit.

A. C. MD
LXXXIX.

I. Lambertus Minzerus ad S. Viti in

ti in Tirolis lethalibus à sicario vulneribus concisus, nuncupato peregrinationis Oetinganæ voto seruatus est. Eadem anno sequenti medicinam vulneribus, cultro sicarii inflictis adhibuit Joannes Soyer Folkenfis, non minus felici, quàm prior, euentu.

I. Wolfgango Atmairo hoc anno dextrum latus obstupescerat, & sermonis vsum ademerat apoplexia. Oetinganæ Diuæ beneficio mouendi loquendique facultas est reddita.

A. C.
M D X C M

Quæ hoc, & sequentibus annis in mortales Diua nostra contulit, ad annum vsque M DC XXXVI. in luce versantur, linguâ patriâ descripta. De quibus clariora quædam progredientibus annis reddemus.

A. C.
M D X C I A

I. Christophorus, Joannis Kienbergeri Lauffensis ciuis filius, annos quinque natus, temerè Salzæ flumini obambulans, præceps voluitur. Fridericus frater excipere conatus

200 OETINGANÆ HISTORIA
ruentem etiam ipse prouoluitur.
Merſi quartam horæ partem nuſquã
apparuerunt. Ope tandem Oetina-
ganæ Virginis, à parentibus implora-
tâ extrahuntur incolumes.

A. C.
MDXCIII.

I. Joannis Raithii Senatoris Mo-
nacensis filio, genibus primùm vaſto
inflatis tumore, ita ſubinde membra
cohæſerant, adductis neruis; vt qua-
tuordecim chirurgorum arte dilige-
gentiâque nihil ad ſanitatem proſe-
ceretur. Diua noſtra inuocata in-
medicabilis morbi pertinaciam ex-
pugnauit.

II. Mulier annos quinquaginta
nata, duplicis voti rea, Oetingam, in-
nere longinquo, acceſſit. Votorum
altero peſtilentiam, quâ fuerat afflic-
ta, depulit: altero ſermonis uſum,
quo quinquennium caruerat, recupera-
perauit.

A. C.
MDXCIV.

Duo coniuges tantis diſſidebant
odiis, vt ab arte magicâ remedia
mori conciliando peterentur. Quæ
cùm

cùm nihil potuissent; alter Oetingã, voti reus, anno postero, profectus est. Ibi Virginis ædem iugressus, cùm quaquauersum tribunal sacrum oculis requireret; nullum vsquam apparuit. Admiranti venit in mentem, magicas in cerâ notas secum intulisse. Quibus abiectis, mox dicasterium, iudicemque sacrum conspexit. vbi expiatus noxis, agnóque cereo donatus animi tempestatem euasit, odio in amorem verso.

I. Accubuerat mensæ Wolfgangus Götfridus cum parente Georgio, valente ac læto. Abit interim Wolfgangus ferculum illaturus. Reuersus inuenit parentē sub mensâ iacentē, exanimem, iamque lethali frigore perfusum. Improviso in casu consilium capit poscendi ab Oetinganâ Virgine auxilii. Quæ piis permota clientis precibus (erat enim Wolfgangus ei deuotissimus) parentem seruauit, valetudinēque, repentē lapsam, erexit.

A. C.
MD XCV.

A. C.
MD XCVI.

I. Thomas Aschauer Monachensis, è familiaribus Caspari Mayr, Salisburgici Cancellarii, VI. Non. Octobris, de meridie, tantis agitari improuisò cœpit intemperis; ut stricò pugione totâ infestus ferretur, domo, diris execrationibus Deum diuósque detestans. Catenas iniectas rupit: sex viros, qui sæuientem coercebant, fatigauit. Animi corporisque medici Diris impelli Scrigiis pronunciârunt, quòd sacra, quæ fortè admouebantur, cum probro depelleret. Itaque malus genius consuetis Ecclesiæ formulis lacessitus furorem quidem frenauit, vocis tamen usum ademit. Triduum sermone cibique expers aquæ tantùm sacre potione reficiebatur, quam antea auersabatur ut pestem. Tandem Oettinganæ Diuæ cum voto commendatus ab hero, vocem mentemque recuperat: ac postero die saluus cubitu surgit, quæ egisset, passusue fuerat.

set, prorsus ignarus. Expiato deinde peccatorum confessione, & Eucharistiâ confirmato animo, Oetingam gratus accessit.

II. Simile beneficium accepit Ursula quædam, Straubingana, cui Tartareus inquilinus & pedes in nodum contraxerat, & sexies quotidie infestus insultauerat. Ut primùm in Oetinganum sacellum illata est, dæmon excessit: illa se in pedes erexit.

I. Sabina, illustris viri Philippi Curtii de Senftenau coniux, cùm triduum casso conatu parturiisset; foetus in utero extinctus est: & in eodem ipsa discrimine de medicorum sententiâ versabatur. Oetingana virgo voto sibi commendatam, præter omnium expectationem seruauit.

A. C.
MDXCVII

II. Neofori, bimula Joannis Weissii filia, de tertiâ domus contiguatione in plateam silice stratam delapsa, tres horas iacuerat pro mortuâ.

O 5

tuâ.

tuâ. Voto à parentibus pro eâ nuncupato reuixit. Cùm verò aliquot exinde diebus langueret valetudo, Oetingam deportata est: vbi omne mali vestigium deletum.

A. C. MD
XCVIII.

I. Vitus Valdernek in Carinthiâ ad radicem montis, cui arx Kienburgum imposita, faciebat opus; cùm inopinatò saxum ingens in caput deuoluitur. Erupit per os narèsq̄ue sanguis vbertim. Morbus inde, dolorèsq̄ue graues: quibus cum dies quattuordecim fuisset conflictatus, voto pro valetudine facto, præsentem Oetinganæ Diuæ opem expectatus est.

II. Vdalricus Stueler, Wasserburgensis, triennium acri capitis dolore discruciabatur. Quo in tempore tantum sæuum ei trimestre fuit, vt morbo in animum exundante, omnia certè præ se argumenta ferret. Voto Oetingæ piis cum muneribus adeundâ nuncupato, sanitatem est adeptus.

I. Joan.

I. Joannes Schelabergius Salis-
burgensis post aliquot mensium ex-
citatem, ipso in itinere, quod voti
reus inierat, lucem denuò aspexit.

A. C.
MDXCIX.

II. Regina, Christophori Anger-
marii Landauiani filiolarum quadrimarum,
inter pascentes equos temerè con-
cursanti calce elisum est cerebrum.
Quattuor horas iacuit, omnium o-
pinione funus. Pater brachiis exce-
ptam, proiectus in genua, Oetinganarum
matri, edito pii operis voto, com-
mendat. Mox adest ipsa diuinum na-
tum brachio gerens, contrectatque
manu Reginae caput. Extemplo illa
vitam testatur motu, paucisque die-
bus omninò conualefcit.

II. Maria octodecim annorum
puella, Pappenheimensis ortu, iam
inde à cunis, educantium negligenti-
tiam, manibus pedibusque capta, qua-
drupedis in modum depressa ince-
debat. Et quoniam sorte natalium
pauper erat, carro ad stipem colli-
gen-

gendam ex alio in alium vectabatur
locum. Nocte quadam vigilantia
fuit, notâ specie, Deipara: & si vale-
re cuperet, Oetinganam peregrina-
tionem spondere, thermisque Wite-
terspergensibus vti iussit. Quibus
factis omne membrorum vitium
sublatum est. Illa anno postero, qui
primus noui ineuntis sæculi fuit Oe-
tingæ voti se vinculo liberavit.

CAPVT VII.

MIRACVLA

AB

A. C. MDC

AD

M DC X.

I.

A. C.
M DC.

Elisabetha Kriselmayrin, Ematio-
genfis, intemperiiis nescio quibus
bus acta, trimestri infantulo per
gulam cultrum exegit. Pater ingu-
latum Oetinganæ Virgini cum voto
commendavit: & mox redditum

uis aspexit, omnibus adstupescenti-
bus.

II. Barbara Zindekerin, Leonar-
di Landishutani Cancellarii coniux;
tribus mensibus somni quietisque
omnis expers dolores capitis penè
intolerabiles pertulerat. Postea-
quam Diuæ nostræ supplicauit; ossi-
cula bina, eaque peracuta in os, citra
humanam opem, delapsa sunt: &
mox dolore extincto, valetudo re-
stituta.

I. Georgius Hörb, Sacellanus in
Neufern, iam quartum annum sup-
puratione (quam Græci apostema
vocant) arctè premebatur; cùm tan-
dem rupto folliculo sanies in vicinas
partes effunditur. Vnde vis doloris
tanta subiit, vt lingua foedè ultra
dentium septa proferretur. Tetro
malo Diua Oetingana medicinam
inuocata fecit.

II. Margaretha de Afaz ab equo
præferoci, qui soleis muniendus ad
offici-

A. C.
M DC I.

A. C.
M DC I.

officinam ferrariam stabat, tam atrocem in capite plagam acceperat, ut effusa in terram nihil mortuâ dilaberet. Iter Oetinganum pio cum munere promissum seminecem erexit, & tridui spatium valetudinem integravit.

III. Susanna Schvvaigerin Wemdingensis, dum in templo facisdest, inopino percussa morbo loquendi facultatem perdit. Curiosi pro officio accurrunt: hortantur peregrinationem eum ad locum vocant, quò se diuinitus sentiat impelli. Vouet peregrinationem Oetinganam, cum munere. Triduo sanata sermone redditur. Oetingam mihiculum & suis verbis, & Parochi litteris affirmavit.

A. C.
M DC II.

I. Christina Pristollerin, anno viginti nata, contractione pedum, spasmis catalepticis ortâ, ita decem annis stringebatur; ut incedendo altigenibus, binisque grallis cogere

tur. Oetingam vt venit, per somnum admonita est, sacri sacelli reptando quater obiret ambitum, sanitatem inde in sacello subsecuturam. Quòd cum intra somnii limites posuisset, nocte posterâ repetita est eundem ad modum adhortatio. Diuinam hîc vocem noscicans obsequitur: quater Sacellum circumducitur: pòst introducitur. At ecce, supplices inter preces vtrumque genu dat sonitum: illa doloris acerbitate clamorem tollit. Non multò pòst in pedes erigi postulat, incedendi spem testata. Quo facto, lætum frequenti populo spectaculum præbuit ambulans, eodémque die reliqua templa confirmatis passibus obiens.

II. In obsidione Albæ Regalis Joanni Wilhelmo Weichsio, nobili Boio, læua manus igne missili tam foedè obusta fuerat; vt resectione consulendum saluti iudicaretur. Ille mitioris remedii cupidus, animo Virgini-
nis

210 OETINGANÆ HISTORIÆ
nis Oetinganæ pietatem repetens, a
deundi cum dono votum edidit pro
sanitate. mox remisit cruciatus, ac
prorsus evanuit.

III. Joannes Otermair, cuius Bru
nouiensis cum triennium graviter
ægotasset, ad eundem, standum, se
dendum inualidus, plus annum, mu
tus adhæc sesquimensis; afflictissi
mæ valetudini curationem apud
Deiparam quæsiuit, votoque Oetia
ganæ peregrinationis annuæ nuncu
pato sanitatem recuperavit.

A. C.
MDCIII.

I. Margaretha Hecherin Scher
dingensis, vicina partui, ligna pos
tans totum implentia complexum,
per scalas non modicæ altitudinis
præceps voluitur in caput. Vicinitate,
quam omnem casus atrocitas
conciuerat, mœstitiâ ac miseratione
defixâ; maritus, Oetinganæ Matris
memor, votum pro coniuge nuncu
pat. Vxor nocte sequenti parit. quat
tuordecim inde dies rationis ac lenis

expers

expers iacet: proles ultra trimestre tempus vitam producit. Vt primùm voti liberata religio, valuit in dies Margaretha rectiùs. Tandem validior cum marito Oetingam, adductis miraculi testibus, accessit.

II. Duo pueri, simili ferme casu in supremum vitæ discrimen acti, parentum votis erepti sunt. Alter Simonis Hinderbergeri de foro Schardingensi filius decennis, in scrobem, graueolentibus ab iniectâ cannabæ aquis plenam prolapsus: alter Pauli Stegeri, cuius Brunouiensis, quinquennis filius, in alueum, quo cereuisia recens excipitur, immersus: indubiis vterque mortis obitæ signis notatus.

III. Magdalena Huberin de Singhing, ad ædem Bogenfis Deiparæ secundo nauiganti Danubio, remus fortè abruptus pedem diffregerat. Subiêre dolores atrocissimi: quibus leniendis nulla remedia sufficiebant.

P

Vt

Vt primùm Oetinganæ Virgini curam peregrinationis donique ferendi sponſione supplicauit; extinctus est dolor, crus coaluit.

IV. Nobilis vir Andreas de Oetling iter carpento faciens scloppum tormentarium, iam ante fartum, ad iactum aptabat, rotulam intendens, & igniarium silicem admouens, cum fallentibus repagulis excussus ignis fistulam exonerauit, digitumque sinistræ, quam loricâ munitam ori fistulæ obiecerat, ita discussit, ut solâ cute modicè hæreret. Dolores inde grauissimi, & medicorum cura non leuis, gangræna. Quo malo oppressus Oetingæ adeundæ, scloppum cum chirothecâ loricatâ ferendi promissionem fecit. Digitus inde cum manu aptissimè coäluit. Sanatus promissa præstitit.

A.C.
MDCIV.

I. Wilhelmus Schönlinus, Seonensis Coenobii Prior, ex Austria domum eques, aliquot cum comitibus,

bus, repetebat. Regiâ viâ in pratum diuertens, supinus in fossam præaltam, rupto, in quem enitebatur, cespitate, cum equo deuoluitur. Eo in discrimine opem Oetinganæ Virginis implorat: votum eandem inuisendi, diuinó que sacrificio litandi facit. Id saluti fuisse præsens honestissimorum virorum testimoniis confirmavit. Nam posteaquam semihoræ spatio incumbentis equi mole iacuiisset obrutus in fossâ; incolumis tandem à sociis est extractus.

II. Permouit hæreticum maritum Catholici nominis coniux, ut Oetinganam secum Virginem inuiseret. Religione loci mirificè captus iam prima ad veritatem agnosendam semina conceperat: sed ea diurni erroris obstinatio facilè obte-
rebat. Non multò post graui morbo correptus, humanis remediis nullo effectu adhibitis, de coniugis consilio Oetingam adeundi votum

214 OETINGANÆ HISTORIÆ
edidit. Voti compos adiit sanus, at-
que Catholicorum cœtui publicâ
cæremoniâ est aggregatus.

III. Prædo silentio noctis domû
introgressus heram, prædiuitem fe-
minam, violenter inuasit. Ac pri-
mùm os, clamori intercludendo,
obstruxit: manus deinde pedesque
vinculis arctissimè constrinxit: ad-
hæc bina capiti vulnera infixit, hu-
manis artibus immedicabilia. Dues
ampliùs horas iacuit semianimis. In-
ter hæc Oetinganæ Virginis auxili-
um implorat: & præter spem vita sal-
uatur, valetudo redditur.

^{A. C.}
^{M DC VI.} I. Joannis Kletenhameri de Sil-
lian filiola Margaretha, bimula, in
profluentem prolapsa certum in in-
teritum aquarum impetu rapieba-
tur. Fortè Luggauianam Deipara
ad ædem proficiscentes aliqui secun-
dùm ripam incedebant: qui fluitan-
tem exceperunt, & pro mortuâ ex-
traxerunt, nullo viuentis apparente
indi.

indicio. Ut primùm pater Oetinganæ Virginis adeundæ votum edidit, reuiuiscere cœpit infans, & valere.

I. Michaëlis Dezen, qui portam arcis Burghusianæ seruabat, filius nouem natus annos, senis hebdomadibus quotidie sub meridiem tantis furebat intemperis; vt vel exisse à se, vel occupatus à lemuribus Tartareis videretur. Interim (ita puer edixit) Deipara, binas aues aureas manu præferens sub aspectum venit. Quod visum posteaquam parentibus narrauit, votum nuncupârunt, Oetingam pio cum munere filium adducendi. Secuta mox tranquillitas. nec ab eo tempore recruduit vnquam id malum.

A. C.
MDCVII.

I. Nobilis matrona Anna Maria Burgleitnerin, Præfecto Haagæ Austriacæ nupta, iam annos omninò sexdecim in matrimonio vixerat improlis; cùm Oetinganæ Virgini exemplum sericum, cæruleum, dono mi-

A. C.
MDCIIX.

fit ex voto, magnâ fœcunditatis impetrandæ fiduciâ. Nec spes in irritum excidit. Sequenti anno filiam peperit: Oetingam venit: beneficium Deiparæ prædicauit.

A. C.
MDCIX.

I. Carolus Wolkensteinus, Baro, cum sanguinem per nares sedecim horis continenter effudisset, iamque ageretur vita; supremum apud Oetinganam Diuam remedium quaesivit, periculo ultra medicorum limites progresso. Vouet igitur argenteam Deiparæ iconem, ebano immixtam, cum senis è candidâ cerâ candidis. Mox cum voto constitit sanguis valetudo recreata est. Donum ipse Oetingam attulit, eximius insignis beneficii testis.

II. Anna Christophori Rottengatterii ciuis Kelheimensis filia, quindecim annos nata, acum in oculi dexteri pupillam temerè impulerat. Erupit inde vitalis humor, tunicaeque vacuæ in cauum recesserunt, oculum iam

iam ab omnibus deplorato. Itaque parentes cum filiâ votum nuncupant Oetingam adeundi, cumq; pio munere acum Deiparæ offerendi. Id saluti fuit. nam oculus ita sub hæc sanatus est, vt neque foeditas in formâ, neque in videndi facultate vitium remaneret.

III. Nobilis viri Wolfgangi Rosenbuschii filius Wolfgangus introrsus abortum ab ortu pedem dextrû habebat, plantâ extrorsus elisâ. Mater æquatam cum filii pondere ceram, & pedem argenteum vouit Oetinganæ Matri pro filio. Et mox vtroque pede rectus constitit.

I. Quidam de foro Oetingano mœrore ac desperatione in aqua saturatus, voluntariâ nece malis finem quærebat. Vxor auspiciatò interuentans, iam prope duplici lethomersum extrahit in siccum: hortatur, Oetinganæ Virginis opem exposcat. Quod vbi fecit, rediit animo sereni-

A. C.
M DC X.

tas: nec vnquam in posterum simili tempestate percussus est.

II. Andreas Priggel postridie Pentecostes Oetingâ domum ad Cœnobium Varnpacense redierat: cùm effusa in terram nubes ita omnia circum inundauit, vt supremum vixisset cum familiâ sibi videretur. Quo in discrimine cùm opem Oetinganæ Diuæ impensissimè implorâisset, votumque nuncupâisset Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacra, anniuersariâ religione, Oetingæ obeundi: cum suis periculo defunctus est indemnis.

CAPVT IIX.

MIRACVLA

A B

A. C. MDC X

A D

M DC XV.

I.

A. C.
MDC XI.

CAsparus Negge, Frisinganus, cœdum in Moraviâ puerorum scho-

ſcholæ præſt, grauiffimo oppreſſus morbo loquendi facultatem perdit. Mutus inde biennium totum. Compulit eum triſtis mali diuturnitas, cum nihil humana poſſent, ad remedia diuina perſugere. Vouit peregrinationem Oetinganam pro valetudine, & ſermonis uſu. Paucis à factâ ſponſione diebus morbo liberatus eſt, tantumque recepit virium, quantum ad iter longinquum ſufficiebat; ſermonis tamen nondum compos. Vt verò primùm ſacram Oetinganæ Virginis domum ingreſſus ad precandum acceſſit; quæ animo verba conceperat, etiam linguâ expreſſit, Deumque cum matre ſanctiſſimâ corde & ore, pro maximo beneficio, laudauit.

II. Sigismundum Seifridum Vra-
tislauienſem Canonicum, anno
ſuperiore, omne morbi genus, tan-
quam ex conſpiratione, inuaſerat.
Etenim ad cephalæam accedebat fe-

P 5 bris

bris arida, phtisis, profluxio sanguinis per nares. & ardens subinde pruna, linguam faucésque, humor hydropticus pedes infestabat. Quibus adiuncta malis intomnia diuturna omnem penè membrorum vigorem extinguebat. Quare neque mouere corpus vllam in partem, neq; cibum ipse ministrare sibi poterat, mensibus ferme tribus. Subiêre adhuc tormina, atrocésque viscerum cruciatus cum hecticâ. Quo factum, corpus cadaueri simillimum, absumptâ carne, vix ossibus, cute, nervis hæreret. Destitutus humanis ab artibus diuorum pietatem sollicitauit, voto peregrinationis Oetinganæ, & Monacensis, ad inclytum vrbis patronum, D. Bennonem, edito. Monituêre cælestia auxilia. valuit enim in dies meliusculè, virésq; tempore progrediête firmas accepit. Interea dum valetudo instauraretur, misit familiaribus, qui suam vicem profectus

ctus

atus in Boicam fungeretur. Is cum domini litteris, miraculi testibus, grallas binas attulit: quarum alteram inter Oetingana, alteram inter Monacensia monumenta suspendit.

I. Georgius quidam, Græcensis, Lutheri sectator, abhinc biennium ad mortem in Austriâ iacens, obiectam Christi de cruce pendentis speciem per quietem aspexit, vitæ religionisque errores minaciter exprobrantem. Quod visum cum narraffet Catholicis, & illi ad orthodoxam religionem capeffendam hortati essent; cum primùm posset, facturum decreuit. Postea, reuirescente in dies valetudine, Passauii authoratus Leopoldo Archiduci militiam sequitur, neglectâ vitæ emendatione. Inter hæc diuinitus acrior ad frugem stimulus admouetur, morbus nouus, Comitiali assimilis: quo semel iterumue in die, modò stans, modò equitans deturbatur in terram, men-

te

A. C.
MDCXII.

te sensûque vitali oppresso. Vbide
 miris Oetinganis edoctus est, vorum
 edidit, aggregandi se Catholicorum
 cœtui, Virginémque Oetinganam
 visitandi. Et confestim atroci libe-
 ratus morbo est. Oetingam deinde
 voti reus adiit: errores cum pravis
 moribus, ritu Catholico expiatus,
 abiecit.

II. Georgius Helenæ Reiffiæ Au-
 striacæ filius omniû sententiâ mor-
 tem obierat, eaque causâ funerarum
 obuolutus pannis vespillonem ex-
 pectabat. Mater, charæ desiderio
 prolis anxia, votum nuncupavit, si
 viuis redderetur filius, Oetingam se,
 ætate licet prouectâ, adituram. Va-
 luit matris pietas apud misericordiâ
 matrem. Etenim confestim moue-
 re se puer, totóque vitam corpore
 prodere. Cùm deinde mater senio
 viribúsq; diffusa peregrinationem di-
 stulisset in annum, graui correpta
 morbo est: quo tandem, linquente
 ani-

animo, iacuit pro mortuâ. Ibi filia, natu maxima, votum à matre neglectum morbi causam interpretata, votum & ipsa pro matre fecit Oetinganæ peregrinationis. Quo factò mater aperiens oculos: quid, inquit, affigimini? salua sum. Paucis inde diebus conualuit ex toto: geminóq; voto est satisfactum.

III. Agnes Huberin, ciuis Geiselhöringensis, Comitali morbo tam inclementer exercebatur, vt sepenu-merò prostrata iaceret mortuæ similis: sæpe biduum triduúmue sine vitæ notâ. Tandem, concepto voto, promisit Oetinganam pro valetudine peregrinationem, nullo alio, quàm panis & aquæ refectu perficiendam. adhæc sigillum è cerâ, & diuinum Missæ sacrificium. Auditas miseræ preces ad liquidum ostendit euentus. exinde quippe prorsus immunis illâ calamitate fuit.

IV. Martinus Greiner, agricola Pfö-

Pföringanus, nouem menses per dementiam tantâ agebatur rabie, vt quattuor catenis fuerit coërcendus. Nihil medicorum Ingolstadiensium solertia, nihil consuetaë dæmonibus pellendis Ecclesiæ formulæ, nihil alia homini commitigando adhibita potuerunt. Ad extremum propinquæ hac se sponione obstrinxerunt: si conualuisset, effecturos, vt & S. Saluatoris ædem, & Oetinganæ Virginis Sacellum gratus accederet. Cuius voti vis ea fuit, vt extemplo subierit tranquillitas, animoque lux affulserit plena.

V. Wolfgangus Zererus, cuius Schardingensis, cum secundo Oeno ad vicinum Passauio templum vectaretur; naus in obliquum acta, pontique impacta quattuor in partes discessit, omnesq; vectores in amnem effudit. Wolfgangus iam dñum milium fluitando spatium emensus, ope Virginis Oetinganæ implorata, voto.

votoque facto, sacra Pœnitentiæ, & Eucharistię mysteria obeundi, piũm, que munus offerendi; præsentis ab interitu vindicatus est, nauigio auxiliatum misso. Eodem præsidio seruati ex eodem naufragio Wolfgangus Denkh, ciuis Erdinganus: & Susanna ciuis Schardingana cum filiã nouenni, merfis aliis plerisque.

VI. Quidam Bauzano, celebri Tirolis oppido, iter faciens, dum ripam profundi stagni legit, putare secum cœpit, finem facturum ærumnis, eò si præcipitem se deiecisset. Quæ cogitatio tam altè in animum descenderat, vt prope ad scelus compelleretur. Succurrit interim sanius consilium Oetinganæ Virginis in subsidium accersendæ. Quod dum facit in genua prouolutus, confestim ab animo perturbatio depellitur, simulque canum (indubiè Stygiorũ) ululatus immanis exauditur, ob ereptam prædam rabiosè furentium.

VII. Mar-

VII. Martinus Teifs, Franco, sub annum Christi MDXC. Octauiano Malaspinæ Marchioni de Castello nouo seruibat. Dum Genuam cum domino proficiscitur, grauter ab equo tibia percutitur. Pressit initio dolorem, contempsitque plagam: at post nauigationem bidui maritimam, gangrænâ pedem incendente, appellenda portui nauis, ægrotus medicorum curæ permittendus fuit. li cum serpentem opprimere flammam frustra laborassent, iamque de interseindendo crure consilium inuissent; Martinus auxilio Diuæ nostræ implorato atrocitatem remedii anteuertit gangrænâ repentè extinctâ. Decennium deinde voti negligens, malo veteri denuò corripitur. Agnouit vindicem iuxtâ ac hortatricem Deiparæ manum. Quartus profectus Oetingam anno sæculi huius decimo promissa præstitit. Miraculum ad hunc annum referunt

Com-

Commentarii: quia biennio pòst re-
uersus Oetingam id tandem narra-
uit.

II X. Osvaldi Georgii lapicida
Oenipontani filia, omnibus capta
membris, absque grallis promouere
corpus nè passum quidem poterat.
At ipso in itinere, quod de matris vo-
luntate Oetingam susceperat, leuari
morbo coepit. In Sacello denique
Mariano ita confanuit, vt absq; ful-
cris incesferit, membris vigore vitali
recreatis.

II X. Wilhelmus Nothastius, uices
Camerarii supremi in aulâ Leopoldi
Archiducis Austriæ gerebat. Is bel-
lo Juliacensi, quod A. C. M D C X. ge-
rebatur, ludicro certamine cum a-
mico congressus penè oculum læuū
perdiderat, aduersarii veruto infeli-
citer in eum aberrante. Loco quip-
pe excussus oculus in faciem foedè
propendebat, nec vllâ medicorum
chirurgorūque industriâ reponi
pote.

poterat. ipse adeò de spe curationis
deciderat, videndi facultate iam die-
bus aliquot impeditâ. Archidux
quàm optimè Wilhelmo consultum
cupiens ad auxilium Deiparæ implo-
randum, fidemque peregrinationis
Oetinganæ voto sancendam est co-
hortatus. Quod ubi fecit, chirurgus
accerſitus, qui ante desponderat a-
nimum, manu exceptum oculum
tanto nisu ingeſſit, clarum vt ſoni-
tum ediderit, nullo detrimento.
Collyriis deinde admotis dierum
quattuordecim curatione tantum
lucis accepit, vt cernendi vi cum
dextero certârit. Voti reus Oetin-
gam venit 15. Octobris die anno
MDCXIII. oculique ſanati monu-
mentum oculum aureum Mariano
gazophylacio intulit.

A. C.
MDCXIII. I. Simonis nauicularii Thalkirch-
enſis vxor annum ferme amentia
tantâ cum tetricâ mœſtitudine la-
borabat, vt à dæmone iudicaretur
inſel-

inseffa. etenim sæpenumerò tam violento agebatur impetu, vt mariti vita in discrimine versaretur. Laxato interdum à furiis & mœrore animo, dicebat marito, Christum seruatorem puniceâ vestitum tunicâ, sibi visum, cum matre virgine: ab hac ad Oetinganum Sacellum adeundû inuitari se, & sanitatem ibi recuperandam promitti. Igitur, marito comite, spe promissi erecta eò contendit. Cœpit ipso in itinere lux & tranquillitas oboriri animo. quam vt Oetingæ liquidam clarâmq; accepit, ita in posterum nunquam sensit obnubilatam.

II. Georgio Dople Lauffensi læuum genu, incertum, quis casus sic intorserat, vt mensem integrum non modò gradum non promouere, sed neque commouere pedem posset. Subiit interim animo Virginis Oetinganæ memoria. Vouet pedem è cerâ factum Oetingam delaturum, &

Q 2

ad

ad primum loci conspectum manibus pedibusque adreptaturum. Tertio exinde die, nullâ curatione admotâ, non mouendi tantum, sed incedendi quoque facultas est reddita. Fidem voti sanatus sanctissimè soluit. etenim ab intimo nemore, vnde longissimus per amplam rectamque viam patet Oetingam prospectus, ad Marianum Sacellum, spectante frequenti populo, adrepsit.

III. Stephani Hechenfelderi Mettenhaimensis seruus plaustrum rapis ad villam ex agro peruehendis onerabat; cum Joannes Stephani filius trimulus in currum per rotam nitebatur. Procedunt interim equi; vertensque rota inobseruati pueruli caput in palum, qui ab extremo surgens axe plaustris lateris fulcit, impellit: quem inter & rotam interceptus sic tenebatur, ut eximere se nullâ molitione posset. Vixisse iam videbatur, atro cruore totâ facie diffuso, viuendique signis

gnis omninò sopitis. Accurrit mater illacrimans: & ,ô Jesu Nazarene, exclamat, túque virgo Maria Oetingana adiuua. hanc meam prolem tibi dono, tuo permitto arbitrio. Simul Oetingani Sacelli adeundi, offerendique Deo sacrificii votum nuncupat. Mox paruulus, quanquam etiam tunc rotæ implexus, aperit oculos: seruus ascia rescindit palum. Extricatus puer haud multò post ex toto conualescit.

IV. Joanni de Königstein, ad D. Petri Moguntiaë Canonico, dum castrensis in Pannoniâ concionatoris munus gerit, sagitta collum traiecta sermonis iuxtà atque cibi viam intereluserat. Cùm vitam agi cerneret, anniuersariam quempiam ad locum, sanctitatis famâ inclytum, peregrinationem Deo pro salute vouit. Secuta est votum sanitas cum voce, sed obtusâ atque laborante. Jam annis aliquot Oetingâ & Andecensi

Q₃ mon-

232 OETINGANÆ HISTORIÆ
monte in Bauariâ, Dettelbachio in
Franconiâ adeundis, voto satisfec-
erat: cùm ingrauescente senio, impa-
ribúsque labori viribus, pro sacro
tribunali Dettelbachii voti legeso-
lutus est. Domum inde concedens,
multis præsentibus: Voti, inquit,
gratiam impetraui, nè in posterum
peregrinandi obligatione tenear: age
itaque, vale Oetingana domina, in
posterum non conspicienda. Dixit
& mox rupta aduersa auersaque colli
plaga recruduit. Agnouit dicti libe-
rioris poenam, votóque redintegra-
to profluuium sanguinis inhibuit.
Nec multò post Oetingam rediit, mi-
rúmque narrauit.

V. Christophorum Sändl agri-
colam equus tanto impetu in glaci-
em excusserat, vt anima defecerit.
denásque subinde hebdomades le-
thiferè ægotârît. Incresciente in di-
es vi mali, iámque mortis metu ani-
mum pulsante; per quietem aspectu
cla-

clarâ specie Sacellum Oetinganum, ibidem adesse diuino sacrificio sibi visus. Experrectus, somnii rationem secum putans, protinus Oetinganæ peregrinationis, sacrificiique illic conficiendi votum edidit. Respondit promisso subsecuta quotidianis auctibus sanitas. Oetingam voti reus venit, & uti res euenerat, narrauit.

VI. Sigismundus Grätzlerus, sacerdos, de ponte, quo Landishuti iungitur Isara, togatus palliatúsque, ad vicensimum quaternum pedum altitudinem delapsus, iamque longè sub aquis abreptus consistendi locum nullum inueniebat. Cùm ergo spes eua dendi nulla ostenderetur, vitam Deo permisit, precibusque, ut assolet in vltimis, animam commendauit. Subiit interea Virginis Oetinganæ, quam cultu quotidiano venerari consueuerat, memoria. Eius opem respiciens: *O sancta*, inquit, *Maria, succurre mihi nunc in horâ*

mortis meæ: officia vetera, si nunc mihi salutem præstiteris, vincere non uis conabor. Addidit precibus votum adeundæ cum dono Oetingæ, & mox pedibus fundum contigit, saluusque in ripam euasit.

VII. Joannes Abbas Fürstencellenfis festino grauiq; oppressus morbo presentissimū ante oculos discrimē vitæ propositum habebat: cum Oetinganæ Diuæ inuocatâ misericordiâ, promissâque ad eam peregrinatione confestim ex morbo est recreatus. Venit Oetingam incolumis. donum Deiparæ Cor è crystallo factum, aureo clausum tulit.

A. C.
MDCXIV.

I. Cum nobili matronæ Sibylla Fürbasin, gliscente Landishuti pestilentia ancillæ duæ biduo mortem obiissent; domus auctoritate publicâ, pro consueto, est obserata. Confidentibus inde domesticis cum fatali morbo famulari more seruebat domina. At posteaquam per-

ricu-

riculi magnitudo (incognitus enim initio morbus erat) se prodidit; eodem sibi afflata veneno videbatur, & eò septimanis decem extrema in dies expectabat. Interea temporis ancillæ mortuæ pecuniam fortè numerans subito metu ita cohorrui, ut iam lethifero gelu perfundi corpus iudicaret. Animo igitur ad Virginem Matrem conuerso obstrinxit voto fidem, si id discrimen exisset, ad Oetinganum Sacellum pedibus profecturam, stipendia senis ibidem sacrificiis peragēdis numeraturam, argenteum cereūmque monumentum dono laturam. Secundū votum rediit, excusso frigore, vitalis calor, valuīq; postea perbene. Diuæ nostræ, quæ promiserat, Maio mense grata persoluit.

II. Sara Georgenhuberin, ciuis Eggenfeldensis, Burghusium cum prole & ancillâ carpento contendebat. Intumuerat id temporis à plu-
Qs uiis

uiis flumen Isenius: quod dum ar-
 riga vado traicere aggreditur, currus
 aquæ torrentis impetu euersus in in-
 dubium salutis discrimen vectores
 eiecit. Mater brachio prolem susti-
 nens, cùm iam procul abrepta penè
 mergeretur; Deiparæ auxilium im-
 plorauit, votumque peregrinationis
 Oetinganæ obeundæ, diuinique sa-
 crificii conficiendi pro salute peri-
 clitantium fecit. Mox constitit in
 fundo, saluâque prolem in ripam ex-
 tulit, ancillamque saluam recepit.
 Oetingam deinde ex itinere diuertit.
 cæterum anno sequente M DC XII
 rediit: quo miraculum verbis & pi-
 cturâ affirmavit.

III. Cùm anno superiori Mat-
 thias Rom. Imp. feбри grauitè la-
 boraret, acrésque podagræ dolor
 ad æstum febrilem accederent, non
 sine medicorum trepidatione: eo-
 demque Anna Austriaca, Impera-
 trix, coniux, cephalalgîâ acriter ex-
 a. c.

ceretur, vimque medicamentorum
vincerent morbi: ab humanis ad di-
uina conuersi pro valetudine singu-
li æquatam cum pondere corporis
candelam è candidâ cerâ factam Oe-
tinganæ Virgini promiserunt. Auxit
Imperatrix votum suum multis in
facello Mariano conficiendis sacrifi-
ciis, & simulacro matronæ è simili
cerâ. Non in irritum excidêre vota.
paucis diebus recreata vtriusque va-
letudo: dolores extincti. Votorum
religioni satisfactum hoc anno, Lu-
câ Wenzeslao Schvvertfurtio, Ca-
merario, promissa repræsente.

IV. Margaretha Joannis Grim-
bii, Oeschlkamio præfecti, coniux,
vitam effudisse cum prole credebatur:
iámque vt mortuam precibus
Deo præsentis commendabantur,
quippe recesserant oculi, hærebat spi-
ritus, cadauerosus vultum liuor in-
fecerat. Quo in luctu maritus votum
pro coniuge edidit Oetingæ pedibus
adeun-

238 OETINGANÆ HISTORIÆ
adeundæ, eoque in itinere, quod vi-
ginti leucarum nostratum est, pane
solo, & aquâ victitandi: argenteum
præterea munus adferendi, animum-
que Pœnitentiâ expiatum Eucharis-
tiâ reficiendi. Sub hæc confestim
signa viuentis apparuerunt, paucis-
que diebus valetudo prorsus est in-
staurata.

CAPVT IX.
MIRACVLA

A B
A. C. MDC XV

AD
M DC XX.

L

A. C.
M DC XV.

GErtrudis Archigrāmatei Schro-
benhusiani filiola de mœnibus
in saxum delapsa tam grauitate
caput afflixerat, vt per os, narēsque
sanguis eruperit, & ad semihoram
nullo vitæ argumento, pro more
inter explorantium lugentiūmq̃
manus

manus fuerit tractata. Deploratâ salute, mater votum edidit, Oetingam nudis pedibus, & membris amictu tantum laneo velatis proficiscendi, diuinique ibidem sacrificii, operante sacerdote, offerendi. Secundum quod confestim emicue're vitæ indicia, nec multò post valetudo ex toto est reddita.

II. Cùm urbem agrumque Ratisbonensem A. C. MDCX. lues pestilens corripuisset; domum Georgii Furtmarij agricolæ triplici funere, coniugis, filiae, seruuli funestauit: ipsum etiam patrēfamilias, superstitesque tres è domesticis alios afflauit. Ingenium morbi, funerāque recentia spem humani præsidii dimittere coegerant. Itaque Georgius ad caelestia confugit: Oetinganam peregrinationem certis cum muneribus promittit: atque hoc voto se, suosque seruat omnes. Oetingam hoc tandem anno venit, indubiè non leuibus

uibus

uibus adhuc momentis impeditus.

III. Ladislaus Comes Törringius anno superiore animi defectione tantâ laborabat, vt neque signum viuientis ederet vllum, neque liquorû efficacitate, odorûmque fragrantia posset recreari. Ad extremum pro vitâ ac sanitate coniugis promissa Oetinganæ diuæ domina coniux candelam ceream tanto pondere, quantum penderet corpus ægrotantis. Apparuit extemplo vis voti. reffectus è deliquio dynasta: sanitas integrata. Oetingam post ipse adiit: candelam librarum ducentarum attulit.

IV. Christophorus Lederer, de Præfecturâ Riedensi, iussu parentum ruri scrobem effodiebat propter saxum vastæ magnitudinis, quod vii quadraginta connixi nequissent impellere. Lapis interim labefactato fundo sublapsus Christophorum occupauit.

cupa-

cupauit, totumque, solo extante capite, oppressit. Quam mole sic agebatur, ut & ab atro cruore membrum omnibus nigresceret, & certum interitum expectaret. Sed excitauit animum Oetinganae Virginis recordatio: cuius aduendae posteaquam sponsum fecit, de improviso quidam eò loci venerunt, & anhelantem sub immani mole inuenerunt. Iudum longuriis palisque saxum amoliri conantur, tegrum iacentis totum excoriant. Prorsus tamen, haud multo post, conuansatus est. Res euenerat anno MDCIX. voti fidem impeditus haecenus, isto liberauit.

V. Erat Christophoro Vizthumb, oppidi Pernesriedensis Camerario & Senatori, filiola, Catharina. Ea cultum forte in oculum adegerat. iamque per pupillam eruperat vitalis humor, oculique iacturam animo praecipuerant parentes, dimissa praesidiorum humanorum fiducia. Ad Oetinganam

nam

nam igitur patronam versi, eiusdem
visendæ certis cum muneribus pro-
missionem edunt, oculumque filia
indemnem, Deiparâ medicante pra-
stant.

VI. Joannes Rupertus Heggen-
miller de Tubenvweiler, Cæsaris
Consiliarius, cum annis compluri-
bus sterili vixisset in matrimonio;
fœcunditatis gratiam à Deo cum cō-
iuge poposcit, adscitâ in causâ patro-
cinium Deiparâ, argenteo Oetinganæ
Virgini promisso anathemate, si voti
compotes redderentur. Ab eo tem-
pore fœcundum esse occœpit matri-
monium. liberis aliquot consultum
posteritati. Monumentum accepit
beneficii miserunt Oetingam, Dei-
paræ iconem argenteam, basi ex ebe-
no factæ superstantem, cui inserta la-
mella argentea cum hoc epigram-
mate:

DEO ET BEATÆ VIRGINI,
CVIVS PRECIBVS FACIT
STERI-

STERILEM IN DOMO MA-
TREM FILIORVM LÆ-
TANTEM, JOANNES RV-
PERTVS HEGGENMIL-
LER A TVBENWEILER, S.
C. M. CONSILIARIVS, ET
MARIA MAGDALENA
WEITMAIRIN, CONIVGES,
PRO MVLTIS BENEFICIIS,
EXIGVVM GRATITVDI-
NIS SIGNVM DD. OETIN-
GÆ. A. MDCXV.

I. Wilhelmus Fuggerus, Baro in
Kirchberg & Weissenhorn, Bauariæ
Ducis Consiliarius & Pincerna, pe-
riculosis aliquamdiu fluxionibus ca-
pitis infestatus, non tantum nihil
medicando profecit; sed vsque adeo
caput afflixit atque debilitavit, vt
metus esset, nè prorsus à se exiret.
Eâ causâ votum nuncupavit Oetin-
gæ adeundæ, ibidémque animi vitæ
totius erratis expiandi, Eucharistiæ
que sumendæ. Tertius exinde dies

A. E.
MDCXVI.

R vim

vim voti prodidit: quo sine medicinâ humanâ efflorescere sanitas coepit.

II. Joanni Zeisio agricolæ ex agro Weilheimensi currus plus mille pondo mellis onustus pedes ita protriuerat, vt cute solâ malè cohærent, mensésque octodecim ambulandi facultas impediretur. Et iam ferrum pedibus ac refectionem destinauerant omnes; cùm ille salutem apud Oetinganam Virginem inuenit voto eam visendi, mysteriâque diuina obeundi nuncupato.

III. Leonardus puer duodecim natus annos, dum ad rotas in molendino peccinatim coeuntes temerè accedit; improuisè correptus dentes inter implexos hæsit. Diffractum brachium dexterum; os fœdè elisum: spes vitæ ab omnibus deposita, nullo viuentis indicio deprehenso. Verùm vbi parentes pro filii salute Oetinganam peregrinationem

cum

cum dono sponponderunt, præter omnium expectationem conualuit, & cum parentibus Oetingæ pro beneficio sospitæ suæ gratias egit.

IV. Michaël, villicus Geisenhausensis, cùm Februario mense piscinam gelu duratam perfringere securi aggrediretur; interruptâ repente glacie, demersus collo tenus in aquâ, summis frigoribus, constitit. Auxilium frustra, nimirum à nemine exauditus, imploravit. Usque adeò tandem obrigit, ut, posteaquam esset repertus, nullo signo vita proderetur. Abiectâ rerum humanarum fiduciâ filia Waldburgis pro patre vouit Oetinganam peregrinationē, cum dono aliquo nummario, & Missæ sacrificio illic perficiendo. Secundùm votum non tantùm luculenta vitæ signa apparuerunt; sed paucis horis redditus est sibi ex toto.

V. Piscabatur animi gratiâ cum amicis in Matychâ flumine Sebastia-

R 2

nus

nus Strasmail, ciuis Brunouienſis; cùm ex vado in ſcrobem altè dehiſcentem ingreſſus mergitur imprudens. Fluxerat horæ quadrans, donec ab amicis extractus eſt, mortuo ſimillimus, abſque omni vitæ argumento. Vbi verò coniux triſte ad ſpectaculum euocata Oetinganæ maritum Virgini commendauit; vitam virésque reſumpſit.

VI. Maria Wicklzamerin Troſburgenſis Viennâ domum repetens in itinere primùm quidem viduata marito eſt: deinde phagedænâ pedè obrodente ad ambulandum inuallida, ex alio in alium locum peruehenda carro fuit: menſem poſtea integrum Gaſteinenſibus nequicquam uſa thermis, Oetingam voti ſoluendi cauſâ portata, ibidémque ſacris Eccleſiæ myſteriis luſtrata, confirmatâque eſt. Mox inde pietas Dei paræ claro eluxit in miraculo. nempe quæ curru Oetingam acceſſerat;

recu-

recuperatâ mouendi facultate, pedibus discessit.

VII. Susanna Zambetterin Greifenburgi (Carinthiæ superioris est oppidum) vnguentum acceperat à vicinâ veneficâ. Quo cum se, duosque filios, salubritatis promissæ spe, perunxisset; filii non multò post extincti sunt: mater manibus pedibusque capta, & in rabiem acerbitate cruciatus est acta. Interea Christus seruator noctis silentio aspiciendum se obtulit, ad faciendum peregrinationis Oetinganæ votum cohortans. Rogantem quânam ratione debilitato corpore longinquum iter perficere posset; erigere animum ad fiduciam iussit. Vouit igitur peregrinationem, sacrificium, simulacrum fœminæ cereum: & breui tempore, depulso diuinitus veneficio, vires mouendique vim recepit. Saga in quæstione scelus confessa capitali supplicio lauit.

R 3

IIIX, Lau-

II X. Laurentius puer fortè cur-
rum sale onustum subierat; cum rotà
obtritus tantum ab omni parte san-
guinis effudit, & vsque adeò speciem
viuentis perdidit; vt extinctus indu-
biè crederetur. Statim verò vt ma-
ter Oetinganam pro eo peregrina-
tionem cum dono promisit, vitæ e-
micuerunt indices, breuîque tem-
pore omninò conualuit.

IX. Joannes Langkmair Serenif.
Alberti, Bauariæ Ducis, Oecono-
mus, ad Oeni ripam, quà Cœnobii-
um Avv præterfluit, equo profectus,
vina ab nauiculario quodam coëme-
rat. Haagam, vnde abierat, dum re-
petit, equus apud villam, cui Wohl-
mannus nomen, natiuâ incitante fe-
rociâ, effuso cursu ad clathros, qui-
bus ager claudebatur, contendit:
quos, cum impigro, sed irritò saltu
transmittere fuisset aggressus, impa-
ctu corporis minutim disiecit, præ-
cepsque in terram cum equite co-
ruit.

ruit. Equo deinde in pedes prius erecto, Langkmarius dextro in stapede hæsit implicitus, & læuum per equi latus, humum capite verrens, pependit. Hic equus denuò per agrum citatissimo cursu euolauit, miserumque ad stadii longitudinem tanto impetu raptauit, vt lacinia tunicæ auulsa, cingulumque è bubalo corio firmissimum fuerit interruptum. Eo in discrimine contentâ voce Dei Deiparæque auxilium poscens peregrinationem Oeringanam cum dono pro salute vouit. & auditas fuisse preces euentus illicò demonstrauit. Etenim ocreâ, calcari, periscelide repentè extricatus pes: &, his de stapede pendentibus, ille indemnis ab equo auulsus. Cùm deinde promptè surrexisset, eodem equo, quem socius itineris comprehenderat, reliquum itineris confecit. Miraculum suâ pictorisque manu expressum Oeringæ inter

anathemata pia suspendit, & castiſſimam
holofericam, reliquoque ſacrificantis
veſtituram Marianam, tanto benefi-
cio gratus auxit.

X. Roſina Rottin, Gankouenſis,
abiectum mœrore & inſanius agita-
tum gerebat animum, toto menſe.
Naturæ artiſque vires, nullo fructu,
experta, perpetuam correpta videba-
tur amentiam. Subiit interim per ob-
ſcurum cogitatio auxilii Virginis
Oetinganæ poſcendi, & peregrinatio-
nem cum ſtatua cerea, ponderi cor-
poris æquatam ſpondendi. Quo fa-
cto, abſterſus eſt mœror, frenata in-
ſania, ſerenum animo redditum.

XI. Joannes Chriſtophorus Si-
giſmundi Wideri Friſingenſis aula
Procuratoris filius in Moſam flumen
delapſus, iamque volentibus aquis
per quinque ponticulos actus cer-
tum ad interitum rapiebatur. For-
tuito defluentem conſpexit qui-
dam, & properè accurrens ad ſextum
ponticulum excepit. Magnus inde
aqua

aquæ modus per os pueruli redditus. Accersiti parentes nihil in eo vitale deprehenderunt. Itaque mater ingenua procumbens Deo Deiparæque pro vitâ filioli supplicat; votoque fidem obstringit Oeting. peregrinationis obeundæ, certisque donis Deiparæ colendæ. Sub hæc mouere se filius, ac tussire coepit. ac breui post tempore ex integro conuuluit.

I. Georgius Ruperti Staindelii Lauffensis filius, nouem annos natus in præterfluentem Salzam deciderat. Adfuit mater propediem; sed ab auxilio ferendo fluminis altitudo interclusit. Itaque confestim ad Oetinganam Virginem vertit animum: spondet eò se adituram, sacrificioque conficiendo stipendium allaturam. Post votum tenuis aqua in sabulo puerum destituit: quò adiri facile cum posset, exportatus, matrisque est redditus, Deo Deiparæque beneficium gratulanti.

A. C.
MDCXVII

R 5

II. Ca-

II. Catharina Prölin virgo, Monacensis, annos omninò sex morbo Comitiali tam atrociter afflictabatur, vt sæpenumerò vicies diei spatio corruerit. & fuit, cum horis quinque continenter iactaretur. Iniecta fortè mens est, tetro morbo depellendo sacrificiũ diuinũ cum aliquo munere Oetinganæ Virgini promittendi. Quod factum adeò feliciter cessit, vt à Nouembri superioris anni ad huius Aprilem, quo Oetingæ fuit, eã vexatione fuerit immunis, spemque fecerint initia tam secunda perennaturæ sanitatis.

III. Eãdem medicinã curatus est tumor immedicabilis, qui collum Catharinæ Schaupergerinæ, itidem Monacensis, tam arctè obsederat, vt alimenta ferreis instrumentis per fauces fuerint traijcienda.

IV. Illustris matrona Elisabetha Harrachia diuturno grauique morbo affecta, cum omnes medicorum cura.

curationes videret in vanum excidere; opem Oetinganæ Diuæ, cui semper deuotum gerebat animum, poposcit: & visendi, donisque colendi promissionem edidit. Voti vires approbavit valetudo instaurata. Fidem illa peregrinatione, aureaque coronâ adamantibus & pyropis distinctâ liberavit.

V. Rosinæ Richtschouerinæ (erat ea nupta Jurisconsulto Straubingano) spina piscis, in conuiuio faucibus infixâ, mensem solidum ita hæserat; ut neq; propelli instrumentis, neq; conuelli posset. Jámque vitæ spem abiecerat omnem: cum de consilio cuiusdam de Societate Jesu votum peregrinationis Oetinganæ, cum sacrificio diuino, ac muneribus nuncupauit. Mirum! spina, nemine manum admouente refixa, eiectâque. Voti fides hoc anno liberata. res huius sæculi decimo quarto euenit.

VI. In-

VI. Inuaserat illustrem virum, Vitum Wolckensteinium, Canonicum Salisburgensem, atrox usque adeò morbus, ut mors ei certa ab omnibus eius loci medicis denuncicaretur: is etiam, qui Oeniponto citatis equis accersitus aduolauerat, inani incepto desistere cogebatur. Quare ægrotus ad supremum certamen consuetis Ecclesiæ sacris se munit. animo deinde, vi morbi caliginem inducente, deerrauit. Desperatis humanis, auxilia diuina sollicitat pater: tres filio patronos legit; Virginem Oetinganam, D. Bennonem, D. Carolum Borromæum. votum hac lege nuncupat: si conualescat filius, autorem se suasoremque ei futurum Oetinganæ, Monacensis, Mediolanensis peregrinationis, ad limina dictorum Diuorum obeundæ. Sub hæc rediit ad se filius, iussitque ratum esse parentis votum, ac suâ etiam sponsione confirmauit.

mauit : Oetinganæ Virgini separatim candelam ceream sui corporis æquatam ponderi promisit. Mitescebat inde in dies morbi sæuitia, & breui tempore subsecuta est integra valetudo.

VII. Jacobus Huber Bauzanensis tam sæuum in modum atrâ bile cœperat exagitari; vt mortis sibi consciscendæ cogitatio perpetuò pulsaret animum, spe felicitatis æternæ prorsus abiectâ. Itaque gulam cultro sex confodit vulneribus, omniũ iudicio lethiferis. Sponsa nuperri-
mè ei pacta, tristi accepto nuncio, de consilio Viti Wolckensteinii, cuius parenti seruiebat; auctor ei fuit, vt Oetingam Boiorum, Eremumque Heluetiorum aditurum se; & vtrobiq; Pœnitentiæ, Eucharistiæque sacra obiturum, cum sacrificio Missæ sponderet. Paruisse monenti saluti fuit, etenim vulnera tam feliciter curata sunt, vt neque vocis, neque

que

que cibi via impediretur; ita con-
 nata mens, vt nullis exinde intempe-
 riis ageretur. Beneficium & ipse vo-
 ti reus coram exposuit, & litteris il-
 lustris domini Viti Wolckensteinii
 descriptum attulit.

II X. Dum nobilis vir Josue Jor-
 dan de Martinsbusch vulpem sclopo
 directo peteret, fistula infernè rupta
 dissiluit, manumque læuam tam for-
 dè ambussit; vt continuò gangranā
 corripere, & ad ferrum ab omni-
 bus ressecanda damnaretur. Itaque
 vincente chirurgi industriam atroci-
 tate mali, soror pro fratre peregrina-
 tionem Oetinganam, cum sacrificio
 diuino ibidem conficiendo vouit,
 optatissimo euentu. quippe tam feli-
 citer deinde processit curatio, vt ad-
 motum vsúmque digitorum nihil
 desideraretur.

IX. Nobilem Virginem Barba-
 ram de Berckhaim, Austriacam,
 laterculus de muro triginta pe-
 des

des alto prolapsus nudatum in caput
humi afflixerat, vitæque credebatur
exturbâsse. Dimidium horæ iacuit
exanimi similis: biduum subsequens
mentis inops. nemo non de vitâ de-
sperauerat. At vbi parentes Oetin-
ganam peregrinationem, cum do-
no, ac diuino sacrificio pro filia salu-
te vouere Deiparæ; mox procedere
in melius valetudo cœpit. Venit i-
psa cum propinquis, comperta affir-
mantibus, Oetingam: laterem, & de-
pictum in tabulâ beneficium attulit,
atque ad limina Sacelli Mariani su-
spendi curauit.

X. Andreas Haider vini plaustro
indormiebat; cum id fortè euersum
totâ eum mole oppressit. Curru ab
seruo, accurrentibusque erecto ia-
cuit exanimis, neque vllum horis
omninò tribus, vitæ signum edidit.
Adfuere sacerdos & chirurgus pro-
perè accersiti: sed curationem, vt
mortuo, non adhibuerunt. Depos-
tum

tum

tum ab omnibus commendavit ser-
uus Oetinganæ Virgini, peregrina-
tionem, statuamque ceream, ad pon-
dus heri pollicitus. Edito voto con-
festim se monit Andreas. paulò post
redui cum animo sanitas corporis,
membris protinus illæsis.

XI. Joannes Seinvvöhr, Sabau-
dus, inter geminas rupes eò scanden-
do euaserat, vt progressu regressuque
arceretur. Ibi cum nec implorare
auxilia humana, nec accipere facile
posset; cælestia poposcit, votoque
peregrinationis Oetinganæ (non i-
gnorabat loci religionem) animum
deuinxit. Radicibus deinde binis
rupe extantibus inhærescens, geni-
búsque fultus, ac Deum Deiparã
que inuocans ternas pependit horas.
Interim de aduersâ rupe obijcitur o-
culis augustâ specie fœmina, nomi-
natim eum compellans, &, quid id
loci agat, interrogans. Ad vocem
circumspiciens nō agnouit loquen-
tem

tem. cæterùm roganti, quænam es-
set, opitulaturam se respondit, & e-
uanuit. Nec multò post adest frater,
qui domicilium duobus inde milli-
bus habebat. Is ubi fratrem de rupe
suspensum conspexit, vicinos cum
scalis funibusque euocavit, eumque
à præsentì interitu, quærendi solici-
tudine diuinitùs iniectâ, vindicauit.

XII. Joannis Schärtingeri mate-
rarij filius ab vndecimo ad quartum
decimum ætatis annum vocem nul-
lam protulerat; eratque metus, nè
perpetuum id malum foret. Cùm ni-
hil frequentata conducerent huma-
na præsidia, pater votum Oetinganæ
peregrinationis obeundæ piis cum-
muneribus pro filio nuncupauit. Mi-
ra fiduciæ vis! rediit post votum ser-
mo. puer cum parente loquens testis
Oetingæ miraculum affirmavit.

XIII. Ludmilla Catharina, Sulz-
ensis Comitissa, ex gente Popelio-
rum clarissimâ, exardescente contra

S

Fer-

Ferdinandum II. Imp. hæreticorum in Bohemiâ bello inauspicatissimo, non in fortunarum modò, sed vitæ ipsius discrimine cum filiolâ versabatur. Quod vt exiret, Oetinganæ peregrinationis votum edidit: & salua cum parte opum in Bauariam peruenit. Straubingâ, quòd mireris in tenero corpore, Oetingam vsque, bi-
 duum itinere processit excalceata. Ibi Deiparæ auxilium verbis, & insigni calice, in sacrarium illato, testata est.

A. C.
 MDCXIX.

I. Apollonia Stainhauserin, Salisburgensi nupta Secretario, anno superiore tam iniquâ valetudine correpta est, vt à mente hebdomades omninò ternas exerrauerit, set dies alimenta turbulentè repulerit, vsque adeò sæua, & infesta, vt tres homines impetu coercendo laborantes fatigaret. Agi vita censèbatur, omnium sententiâ. Iam ante morbum Oetinganæ Virginis aduandæ, & munere quopiam colenda
 reli-

religione se obstrinxerat. Quare leuata paulisper morbo, ad memoriam voti animum reuocans, piam, quæ tunc aderat, eodémque tempore profectiorem Oetinganam adornauerat, foeminam rogauit, sacrificium illic pro se confici curaret. Quo deinde die pro eâ sacrificatum est Oetingæ, cibum denuo admisit, & ad mentem rediit: valetudo porrò in dies in melius inclinauit. Ipsa beneficium præsens narratione & picturâ explicauit.

II. Ambrosius Kammerlander, venator Tirolensis, dum capras alpinas per auia sectatur; dilabente sub vestigio niue de abscessâ rupe, ad altitudinem trium millium pedum, præceps inter vasta niuium glomeratarum volumina ruit. Ibi cum biduum magnis hæssisset aggeribus obrutus, neque facultas eluctandi esset vlla; opem Deiparæ implorauit, votumque peregrinationis Oetinganæ

pro salute nuncupavit. Secundum quod sexdecim eò peruenerunt homines, qui niue submotâ viam aperirent. quos vt adesse sensit, opem acclamando poposcit, & confestim expertus est, viâ per niues patefactâ. Rem triennio ante factam præsens hoc anno edixit Oetingæ Ambrosius, teste oculato adducto.

III. In tetrarchiâ Straubingânâ semestris infantul⁹ Andreas quadragenis diebus catalepsi tam atrociter conflictabatur; vt eâ decies quinquies in die corriperetur. Mater humanis auxiliis destituta medicinam ab Oetinganâ Diuâ poposcit. cui posteaquam pro filioli sanitate ceram eius ponderi cœquatam promissit, leuatus morbo est, & adhuc solutus ac liber vixit.

IV. Anna Reitterin circa septimum ætatis annum in riuum, quo molendinum agitur, incidit, atq; sub rotam impellente vortice, com-

pulsa semihoram iacuerat. Cùm extracta nullum viuentis ostenderet indicium ; mater Oetinganam pro eâ peregrinationem vouit, hac lege, vt itineris laborem pane tantùm & aquâ toleraret, & lucernam manu præferret. Tunc se commouit paulisper puella. mox etiam recreatis viribus omnino conualuit. Votum, à matre editum, hoc anno filia dissoluit.

V. Nicolaus Schafrath, Marianæ ad veterem Buzzellam in Bohemiâ ædis Sacellanus, venenum occulto maleficio dilutum hauserat: neque prius id animaduernerat, quàm membris omnibus esset diffusum. Augustissimus Imp. Matthias, qui tunc religionis causâ cum Augustissimâ coniuge aderat; medico suo curandi negotium dedit. Ille, cùm mali vis ultra limites artis processisset; ægrotum ad animæ remedia vertere curam iussit. Itaque sacris expiatur,

muniturque Nicolaus: qui simul voto peregrinationis Oetinganæ triumq; illic sacrificiorum, abs se conficiendorum, pro vitâ animam obstrinxit. Vix ediderat sponfionem, cum habere coepit meliusculè, visque veneni lethifera Deiparæ precibus penitus extincta.

VI. Anna Margaretha Wolfgangi Rätseri (seruiebat hic olim sacello Oetingano) filia, tam graui correpta est morbo; vt à quartâ matutinâ ad noctem vsque per os narésque sanguinem redderet: certis inde noctis interuallis reiectionem repereret: postero die horas omnino quinque perpetuaret. Sub hæc horas viginti quattuor iacuit elinguis, reputque refectionem omnem, vt ab omnibus in vltimis versari iudicaretur. Hic mater tria pro salute filie vouit sacrificia, in Oetingano sacello perficienda; & mox puella claram vocem sustulit: Gratia Deo! quantum

rum æstum pertuli! cibum præbe,
 mater: bonæ valetudinis initia se
 mihi ostendunt. Exinde valetudine
 quotidie in melius eunte, profus
 conualuit.

VII. Illustris vir Henricus Ko-
 lovrat, Cæsari à consiliis & cubicu-
 lis, cum coniuge in hostium potesta-
 tem venerat. Postquam pro liber-
 tate lampadem argenteam aureo
 cum torque Diuæ nostræ vouerunt;
 feliciter eâ calamitate sunt liberati.
 Inde Passauio Oetingam profecti
 præclaram animi grati testificationē
 ediderunt, itinere bidui pedibus
 conficiendo, promissaque liber-
 tatis vindici Deiparę præ-
 stando.

MIRACVLA

AB

A. C. MDC XX

AD

M DC XXV.

I.

A. C.
MDC XX.

Illustris matrona Catharina de Hoys, è familiâ Keuehillerianâ, anno superiore tantis à calculo doloribus excruciabatur; vt actum de vitâ, cum ipsa, tum tres Medici pronuntiarent. Consumptis humanis præfidiis cælestia contra mortem educit: votum Oetinganæ peregrinationis obeundæ, & sacrificii diuini cum cantu aliquoties conficiendi facit. Sub hæc certa fiducia vis enituit: etenim expulso calculo subit optata sanitas: ob quam, ope Diuæ nostræ, recuperatam, cum domino coniuge, Joanne Balthasaro de Hoys, ærario Cæsaris Viennensi præfecto, Oetingam adiit, votiq; fidem liberauit.

II. Bar.

II. Barbara Willin, villica, triduo post foetum editum ita deturbata de mente est, vt infantulum ab se repelleret, eique mortem intentaret. Maritus peregrinationem Oetinganam cum sacrificio pro sanitate conjugis conficiendo Deiparæ spon- dit; & furor detumuit, rediitque ani- mo malacia.

III. Paulus Altbart, opifex, Pas- sauium secundo Oeno nauigabat. Aberat ab vrbe quinque ferme mil- libus; cùm lembus, quo vehebatur, euersus est. Ille, implorato Mariæ au- xilio, promissâque peregrinatione Oetinganâ, ad pontem vsq; inuerso corpus lembo sustinens deuectus ri- pam incolumis appellitur.

IV. Martinus Schenckh, miles, bello Bohemico plumbeâ glande pedem traiectâ doloribus vrebatur acerrimis; neque chirurgorum con- siliis & artibus quidquam agebatur. Quare adeundæ Virginis Oetinganæ

S 5 voto

voto se obstringit, & grallâ sustinens gradum iter ingreditur. Quò magis autem propinquat Oetingæ, hoc expeditiùs ac leuiùs incedit. Sensit loco in sacro iam opus fulcro non esse. Itaque grallam inter monumenta beneficiorum Deiparæ suspendit, & alacer ac promptus abiit.

V. Leonardus Kern Franco à teneris herniâ laborabat. Eâ leuatus est paucos ante annos, Oetinganam Deiparæ pollicitus peregrinationem. Verùm, debiti solutione in sexennium prorogatâ, recruduit malum. Integravit votum, & rursus est morbo liberatus.

A. C.
MDCXXI.

I. Joannes Leidel, ciuis Frantehufanus, domum repetens ex equo defluxerat, pede suspensus de stapede, cui altiùs erat immissus. Animaduertit ibi vitam agi, si in cursum se incitasset equus. Quare Deiparæ auxilium implorauit, votòque itineris Oetingani, donorùmque feredorum

dorum se deuinxit. Constitit equus, donec stapede extricatus pes periculum præsentissimum interrupit. Superiore factum. exposuit hoc anno.

II. Bernardus Hilz, Senator oppidi Hengerspergensis, catalepsi tam erat obnoxius; vt ferme quot diebus sterneretur, & sæpenumerò aliquot horarū spatio iaceret mentis inops. Cùm aliquando, impetum remittente morbo, redisset ad se; supplex Deiparæ auxilium implorauit: simul Oettingæ adeundæ, donisque ornandæ votum pro sanitate nuncupauit. Exinde cum morbus hebdomades aliquot resedisset, oborta spes est valetudinis duraturæ. At viribus itineri nondum paribus, coniugem cum icone cereâ centum quadragenûm pondo misit, & in Sacelli Mariani Fastis referri beneficium postulauit.

III. Georgius, Schardingani ciuis filiulus, lapillum auri dexteræ immise-

mise-

miserat: qui tam altè se abdidit, ut nullo artis instrumento posset protrahi; & metus esset, nè non audiendi tantùm facultate, sed ipsâ vitâ multaretur. Posteaquam parentes pro eo Oetinganam peregrinationem vouerunt; lapillus tripartitò ruptus particulatim exemptus est, nullo pueruli detrimento.

IV. Nicolaus Comes Lodronius A. M DC XX. tam imbecillus ac tenuis viribus erat, ut sellâ gestandus, vel inter brachia ministrorum ducendus esset. Quo in morbo cum humana parùm proficerent, ad matrem Dei, Oetingæ perpetuis in clientibus conferendis beneficiis clarâ, perfugit. Vouit, quò eâ imbecillitate leuaretur, Oetingam se profecturum, Poenitiæ Eucharistiæque sacra obiturum, Missæ sacrificium cum cantu fieri curaturum. Voto reddito, cum in dies procedere in melius valetudinem sentiret, & subinde

con.

conualuisset ex toto; vt antea obtinendæ sanitati huc æger accessit; ita hoc anno redeundo gratésque Deiparæ persoluendo obtentæ gratiam testatus est.

V. Quidam, quòd promissæ quòdam peregrinationis Oetinganæ fidem liberare neglexisset, tantâ mœstitiâ occupari, tantisque ab dæmone intemperiiis agi cœpit; vt ad mortem & sibi, & vxori consciscendam quàm vehementissimè impelleretur. Non tamen hîc sibi defuit. repetiit antiquam sponsionem: iturum se Oetingam excalceatum, cum geminis è cerâ candelis: ibi sacrificium diuinum fieri curaturum. Et confestim suborta est animo serenitas: fuitque in posterum eiusmodi laruis immunis.

VI. Piscatores duo Fravvensteiniani Decembri mense, secundâ noctis vigiliâ, piscabantur in Oeno. Ibi lembus fortuitò in palum actus euersusque

susque in aquas vtrumque excussit. Horam ferme luctantes, cum meris emerisque ad arcem vsque Fravensteinium defluxissent; opem magnis clamoribus implorâcunt. Acclamârunt ex arce domestici, Deo Divâq; matri se commendarent, voto Oettingæ ad eundæ se auxiliaturos. Hæc promissio saluti periclitantibus fuit, mox enim incolumes ad ripam sunt appulsi.

VII. Quidam, quod principem in miris anni huius locum meretur, ad primum Marianæ statuæ conspectum, mutavit animum: religionis prauæ virus abiecit: coetui piorum est adiunctus.

A. C.
MDCXXII

I. Domina Lucia Otília Selavvata, Comitissa de Klum &c. à morbo eò vsque somni beneficio spoliata est; vt solidas peruigilare noctes multis hebdomadibus cogeretur. Vnde languor, aliâque valetudinis incommoda permolesta. Neque verò medici

dici experientissimi quidquam per omnes artis recessus inuenerant, quo conciliari quies ægrotanti posset. Illa igitur remedia Deiparam valentiora poscens fidem obstrinxit, cum primùm per vires liceret, Oetingam adituram, donumque cellæ Virginis illaturam. Profecta Passaui cum domino coniuge, & matre, primâ itineris mansione recenti somno cœpit acquiescere: tertiâ deinde nocte, quam egit Oetingæ, somnū ex integro recuperavit.

II. Valentinus Rainer, agricola, falce dextrum pedem, inflicto vulnere, sic debilitauerat; vt incedendi facultas trimestre tempus hæserit obstupefacta. Cum nullam in multis remediis efficacitatem inuenisset; Oetinganæ Virginis opem postulauit, votoque se obstrinxit eam adeundi, & nummorum aliquid ærario inferendi. Conualuit ex templo post votum, iter Oetinganum expeditus peregit.

III. Mar-

III. Margaretha Wimmariu, mente capta, semestre solidum catenis tenebatur constricta. Adhæc biennium sermonis experta tetricam perpetuo in silentio vitam agebat. Oetingana Diua votis conciliata sanitatem cum loquendi facultate quam primùm impetrauit.

IV. Illustris vir Henricus Michael Hinserleus, Baro de Cadau, in castris ad Nouam domum, Pannoniæ oppidum, cõtumaci correptus morbo, nullo medicorum conatu curari poterat. Septênium spatio mensium tenuit malum. quod etsi quater oppressum videbatur; quater in maius ægroti periculum recrudit. Quare voto se pro valetudine deuinxit, ad Oetinganam Virginem itinere pedestri Passaui proficiscendi. Et confestim inclinari morbus cœpit. Inde receptâ ex integro valetudine Oetingam voti reus, gratûsque venit.

V. Jacobus Miessinger vi morbi
seme-

semestris ita mente exciderat, uti domo digressus senum hebdomadarum spatio nusquam apparuerit: creditumque sit, mortem sibi voluntariam, vel aquis, vel laqueo conscivisse. Ut frater peregrinationem Oetinganam, cum sacrificio illic peragendo pro fratre vouit; confestim domum rediit, atque conualuit.

I. Virgilius Eisenhuet Salisburgo Tridentum iter habebat cum coniuge, tribusque liberis. Non procul Colmanno (locus est Bauzano Brixinæque interiectus) è liberis puer septennis carpento excidit: quod actum repente per corpus crura cum brachiis perfregisse videbatur. Parentes seminecem puerulum carpento receptum Oetinganæ Virgini commendarunt, proque eius incolumitate signum è cerâ fingendum sponponderunt. Colmannum ubi peruentum, chirurgi euocati puerulum illæsum, protinusque sanum, ut erat, pronuntiârunt.

A C MDC
XXIII.

T

II. Pa-

II. P. Marcus Capuccinus Viennæ tam grauitè decumbebat, vt integro triduo intelligendi cernendique facultas fuerit oppreffa. Cùm & medicus, & adftantes domestici de vitâ ægroti fpem prorsus abieciſſent; occurrit illius animo Oetinganæ matris pietas. ad quam cùm profecturum ſe, maiorum permiſſu, ibique ſaceris operaturum promiſiſſet; ternas poſt horas ſanus valensque ſurrexit, & poſtero die ſociorum cœtui ſe reddidit. Idem P. Marcus, cùm alio tempore aures prorsus obſurduiſſent; eodem adhibito remedio curatus eſt.

III. Hieronymus Gellerer, ſubcenturio Landauienſis in furorem & alienationem mentis actus, quadri-
dum vinculis, & ſex virorum custodia inſciens attinebatur. Cùm interim aliqua lux affuſiſſet; ſubiit Oetingani Sacelli memoria: quò, ſi conualuiſſet, acceſſurum ſe cum cœſa catenâ, Miſſæque ſacrificium fieri cu-

ri curaturum promisit. Et confestim excussa est amentia, dieique spatio ad omnia sani valentisque hominis officia rediit.

IV. Conradus Völkh, ad D. Nicolai Cœnobium, in suburbanitate Passauii situm, scholæ moderator, cùm prono veheretur Oeno, nauigiolum in onerariam incurrit. Ille cum sociis tribus in flumen excussus, infraque carinam nauigii maioris abreptus, inuocato Virginis Oetinganæ auxilio emerfit, vitamque seruauit.

I. Wolfgangus Grundner, miles, gladio supra pectus adacto in discrimine supremo versabatur. Voto peregrinationis Oetinganæ facto, breui tempore curatus, optimamque valetudinem est adeptus. A.C. MDC
XXIV.

II. Apollonia, puella bimula, ludebat extra villam; cùm eam vacca lasciuens cornu in os defixo suspendit, diuque circumtulit. Vbi eam

T 2

tan-

tandem abiecit, pro mortuâ iacuit.
 Vt primùm parentes infantulæ salutem nostræ Diuæ commendârunt, ac votum ediderunt; signa viuentis prodidit, & reflorescente in dies valetudine prorsus confanuit.

III. Joannes Osinger, cuius Laufensis cum coniuge domum Salisburgo renauigabat. & vix soluerant, cùm nautarum negligentia naufragium fecerunt, meris è vectorum numero nonnullis. Quo in discrimine cùm vestes nuptiales Oetinganæ Virgini deuouissent; incolumes in ripam euaserunt.

IV. Georgium Wimmerum Monacensem tam atrox obruerat morbus, vt hebdomades omninò tres loquendi, audiendi, videndi facultate caruerit. Quin dies aliquot neque consistere, neque incedere, neque alimenti quidquam poterat sumere. Adhæc obriguerat pes dexter, itaque totus à se homo discesserat; vt vulgò
 amens

amens ac vecors haberetur. Cùm igitur ipse sibi consulere non posset; pia soror voto Oetingano fratri auxilium à Deiparâ impetrauit, etenim paucis pòst diebus ei conspiciendam se obtulit, & ad votum exequendum est adhortata. Inde valetudo in dies melior, ac optima tandem successit.

V. Fossor ærarius quidam, Oenipontanus, rate, quâ vehebatur, disturbatâ, ad quingentos Oeno secundo passus abreptus erat. Tandem collo tenus in aquâ constitit, vitâ, quòd opitulari nemini tutum foret, desperatâ. Succurrit hîc animo Oetingana Domus: eò peregrinationem voto destinat: & extemplo in ripam, multis spectantibus, atq; gratulantibus euadit.

VI. Iter habebat Salisburgēsis ciuis cum coniuge. Dum Gretingæ (abest Salisburgo locus quinque millibus) pontem traijciunt; equus vxoris stre-

pitu torrentis pauefactus, restitans
atque refugiens de ponte prolapsus
est. Clamauit opem maritus: sed e-
rat ea periculi ratio, vt opem non ad-
mitteret. Vt primùm verò peregrina-
tionis Oetinganæ voto Deiparam
conciliauit, vxor cum equo salua e-
uasit.

CAPVT XI.

MIRACVLA

A B

A. C. MDC XXV.

A D

M DC XXXV.

I.

A. C. MDC
XXV.

Ioannes Fuxius agricola de plau-
stro deciderat in limum. Vbi cùm
hæreret implicitus, currus prægra-
ui mole onustus per eum actus est,
videbaturque penitus obtritus ac
mortuus. Amici rem vltra humana
remedia positam credentes ad diui-
na perfugerunt. Itaque peregrina-
tio-

tionem Oetinganam cum sacrificio pro salute Joannis vouerunt, euentu optatissimo. nam & viuum illum, & paulò post etiam valentem aspexerunt.

I. Caupo quidam temerè cultrū in ventrem adegerat: extractum secuta sunt ilia. Jámque sacris Christianorum mysteriis ad æternitatis expeditionem se armauerat; cū ei vxor inuocatâ Oetinganâ Virgine vitæ spatium prorogauit.

A.C. MDC
XXVI.

II. Negotiator Passauiensis prægrandem onerariam, frumento onustam, aduerso Oeno, in Tirolim multis equis subuehebat. Dum parat appellere, nauis refertur retrò sublapsa, vectóresque cum equis rapit. Discrimen vitæ rerúmque suberat præsentissimum. Ingeminatur nomen Oetinganæ Virginis: auxilium exposcitur: & mox appellitur ad ripam oneraria, hominibus equisque saluis.

III. Alius eodem flumine do-

mum Oetingâ deuehebatur. Euer-
sâ naui quattuor & viginti è nauigantibus merfi. Ille cum interitu præsentique morte conflictans animo Deiparæ beneficia repetit: à quâ moneri sibi videbatur, si vitam amaret, eam voto Oetingæ adeundæ sibi affereret. Quod vt fecit, inuersâ nauis carina, aquis extans, laboranti se pro fulcimento præbuit. quâ nifus haud modicum spatium decurrit, donec auxiliari lembo exceptus in siccum euasit.

IV. Mater fato defuncta secundum quietem adstirit filiæ: & , ô filia, ingeminavit, ô filia, quàm arduum est cælo potiri! Quid ergo me fiet, inquit filia: utpote cui conscia matris virtus erat. Tunc mater: à vitâ quidem beatâ repulsam non tuli; sed arceor tantisper, quoad vna de filiis votum à me Deiparæ nuncupatum exequatur. Illa ipsa, quæ matrem loquentem audierat, sine cunctatione ne-

ne negotium suscepit: & à quindecim milliaribus Oetingam profecta voto satisfecit.

V. Mater alia de morte filii præmaturâ sic lacrimis quæstûque conficiebatur, vt parùm amentîâ distaret. Obtulit se is internoctu lamentanti: &, quid est, inquit, cur plores? mihi quidem bene est: æternùm tibi erit malè, nisi Oetingæ veniam tuis peccatis quæsieris. Illa, tanquam de cælo tacta, Oetingam deproperavit, ibique cum lacrimis animę labe pro sacro tribunali exposuit, inutili de morte filii luctu in propriæ salutis remedium conuerso.

I. Illustrissima matrona Lucia Otilia de Nouâ Domo, Comiti Wilhelmo Selavvatae, summo viro nupta, Diuę nostrę auxilio morbum periculi plenissimum depulit. Cui vt gratiam referrent pii coniuges, duo ex argento facta signa cognominum Diuorum, Wilhelmi, & Lucię sacra-

A.C. MDC
XXVII.

rio Deiparæ intulerunt. Alia eorundem dona, auro gemmisque confecta, tribus aureorum millibus æstimantur. Et antehac, cum pestilens contagio Nouam Domum infestaret; ab iisdem patrocinium Oetinganæ Virginis accersitum salubritatem vrbi retulit, nemine quoquam ab eo tempore desiderato. Adhæc cum incendium arci, quam incolebant, bustum minaretur; eadem patronæ flammæ vim cohibente restinctum est.

II. Natus est hoc anno Græci terrificâ specie infans, oculis oua galinæ magnitudine superantibus. Quam fœditatem auersati parentes oculorum par argenteorum Oetinganæ Diuæ promiserunt, si eius precibus ad iustam magnitudinem infantis oculi colligerentur. Quod cōfestim cum omnium admiratione factum.

A. C. MDC
XXVII.

I. Quidam vsque eò scelerum
con-

conscientiâ lacerabatur, vt patriâ profugerit, errando lenimentum aliquod cruciatui quæsiturus. Interea dicatam D. Stephano ingressus ædem mœstitudine ac molestiâ obdormiuit. Experrectus claram vocem audiit, si animi tranquillitatem optaret, Oetingam festinaret. Obsecutus diuinæ monitioni venit Oetingam: vbi expiatis confessione vitæ maculis, dispulsâ tempestate, quietem est adeptus.

II. Franciscus Martinus Reidnerus, Archigrapheus Dingelfingani filius à morbo vitæ periculum adierat. Parens Oetingam pro filio supplex profectus est. Sub quintam vespertinam eò peruenit: sub eandem horam lecto filius profiliit, & sanus lætisque per cubiculum inambulauit.

I. Maria Sibylla, eximii viri Joannis Fuggeri Comititis filia, adeò maligno corporis erat habitu, vt morbi ferme

A. C. MDC
XXIX.

ferme cum diebus, alijs alij succederent. Membris omnibus tam acuti doloris infederat sensus; vt, si quando attingeretur, anima deficeret. Medici non ex Germaniâ tantùm, sed ipsa etiam Italia euocati nihil profecerunt, malo vltra fines artis progressu. Itaq; ad extremum Oetingana Diua, auxiliatum vocata venit: & sanata Fuggerinæ gloriam tulit.

A. C. MDC
XXX.

I. Christophorus Mailand, de Cransperg, multis ac diuturnis conflictabatur morbis. Mente, oculisq; captus, ac membris omnibus ita fractus erat, & labefactatus; vt curru ad stipem colligendam septennium solidum, fuerit circumuectandus. Ad vltimum denique periculorum deductus, cum quartum iam diem interclusa vox esset; animo votoque ad Oetinganam Virginem verso, supremum flagitauit auxilium. Quod extemplò præsentariū sensit. Rediit linguæ sermo: instaurata videndi ince-

Incedendique vis: valetudo subinde plenè restituta.

I. Strafsburgi in Carinthiâ nobilissimæ matrona Veronica Jocherina lethali, eoque contagioso morbo in ultimum vocata discrimen Rosinæ filia pietate erepta est. Armillas hæc Oetinganæ Virgini suas promisit; & matri incolumitatem impetrauit. Non multò post eadem afflata lue Rosina filia, simili voto à matre seruata est. Exinde morbus in vniuersam penè familiam vulgatus nostræ diuæ precibus sine funere desæuiit.

A.C. MDC
XXXI.

I. Funestas huius anni clades, quo Gustauus Suecorum Rex, Acatholicorum Germaniæ principum, vrbiumque ferox opibus, infesta per Boicam signa circumtulit; eximia multorum virtus, Deique ac Diuorum auxilia præsentissima compluries subleuârunt.

A.C. MDC
XXXII.

Vir quidam honestâ probatâque vitâ, pago, quem incolebat, à Succis

occu-

occupato, in locum solum perfugit, indagandi solertiam horrore laterarum elusurus. Ibi mœroris desperationisque plenus humi procubuit, æumnasque suas, non tam supplicando, quàm quiritando Oetinganæ Virgini commendauit. Obrepfit interea somnus. Videtur hîc sibi per speciem Oetingæ versari, Deiparâmq; audire hortantem, bene speret; nihil inde periculi, vnde sit metus, imminere. Experrectus mirè erectum sensit animum. Itaque progressus de latibulis per medios hostes, omni maleficio immunis, incessit, gratusque ad salutis vindicem Oetingam properauit.

II. Binæ virgines, cum laudata pudicitia matronâ, in Suecicorum militum inciderant manus. Cum precibus minisque earum oppugnaretur castitas, neque pateret euadendi probri via; Virginis Oetinganæ fidem implorauêre. Et confestim tur-

pes

pēs proci in diuersa diuinitūs acti
diffugerunt. Plures aliæ, cūm virgi-
nes, tūm matronæ, eādē vindice,
labem eandem abarcuêre.

III. In pago quodam Suecici mi-
lites sartorem, collo in laqueum in-
serto, suspenderant, laxiore nexu,
quàm vt confestim animam elide-
ret. Illis dilapsis Oetinganæ se Vir-
gini commendauit. secundūm quod
somnia mergi sibi est visus. Interea
fortuito quidam eò accesserunt, &
laqueum resciderunt. Oetingæ de-
in grates sospitæ suæ meritas persol-
uit.

IV. Quod hostis Ripense Nori-
cum, siue eam Boicæ inferioris par-
tem, quam Oenus in Orientem à re-
liquâ prouinciâ diuidit, non intraue-
rit; nemo est, quin tutelæ potius no-
stræ Diuæ, quàm fluminis, armato-
rūmque præsidio tribuendum sen-
tiant.

I. Rapuerant viri nobilis Landis-
huta.

A.C. MDC
XXXIII

hutani coniugem Weinmarici ad castra. Maritus eam & à probro, & sibi vindicaturus, sponsionem fecit, si saluam reciperet, sacrificium Oeringano in Sacello cum cantu confici curaturum. Tunc erectus animo in castra processit, coniugemque per arma, iactosque tormentis globos perquisiuit, & repertam domum laetus reduxit.

II. Eundem ad modum salutifiliæ consuluit Vdalricus Leukerus Landishutanus, quam cum raptam à Weinmariensibus accepisset; mox, edito visendæ Virginis Oetinganæ voto, progressus in pōtem, Isaræ iniectum, vbi etiam tunc certamen cum hostili manu feruebat; eam sub equo Suecici militis proculcandam reperit. Audentem fecit prolis amor, & voti recentis fiducia. Intulit se in pugnantium globum, filiãque pressenti letho eripuit: seruata cum aliis quinque liberis domum reduxit.

III. Jo-

III. Joannes Jacobus Montoia, Monacensis, non procul patriâ, quin à militibus exceptus, duobus globis ad ferrei filii extrema reuinctis, ictus est: quorum alter corpus transiit, alter hæsit. Medici arte diffisi mortem denuntiauerant; & moriturus animam salutis remediis procurauerat; cùm tertio post die Oettingana memoriam Virgo subiit: quam vbi voto nuncupato auxilium poposcit, quarto post die ex toto conualuit, & publico se commisit.

I. Captâ inauspicatissimis Bernardi Ducis Weinmariensis auspiciis, multoque incolarum sanguine, barbarum in morem, respersâ Landishutâ; cuius quidam in quæstionem de gazâ Ecclesiæ raptus, cùm negaret aliquid sibi de eâ constare; pugnis primùm atrociter contusus; reuinctis deinde post tergum manibus, haustu, quem Suecicum vocant, excruciatu est. Nimirum aquæ tantum

MC MDC
XXXIV.

V

tum

tum in eum, dispeffis vi faucibus, ingurgitârunt, vr rumpendus omnino videretur. Inter hæc misero Deiparæ auxiliũ exposcente, votũmq; pro valetudine quondã factũ, & adhuc neglectum, animo repetente, ac nouo profectiois Oetinganæ promisso fidem obstringente; ecce funes, quibus tenebantur manus, sine molitione vllâ, cum admiratione spectantium, rumpuntur in frustra. Cũ viribus humanis (quæ sanè modicæ erant) id effectum tribuerent alii, & eò hauftum alterum pararent; vnus, Deo animum permouente, vr parcerent, commilitonibus persuasit: qui proinde alapis multatum dimiserunt. Iis digressis votum instauroit, Deoque ac Deiparæ, sospitibus, gratiam habuit.

MIRACVLA

AB

MDCXXXV

AD

A.C. MDCXLIII.

I.

Sophia Schvvaigerin, Perlesreut- A.C. MDC
XXXV.
 tensis, quattuor abhinc annis
 cum dimidio, à luctuoso casu,
 quem etiam catalepsis grauabat, ita
 omnem loquendi facultatem perdi-
 derat, vt animi sensa non nisi scri-
 pto vel nutu posset promere. Cùm
 multi medici nihil profecissent; pe-
 regrinationem Oetinganam, tribus
 cum ceræ libris, sacrificiis Missæ duo-
 bus, pro sermonis vsu recuperando
 est pollicita. Venit Oetingam iun-
 cta supplicationi Perlesreutteni,
 prid. Non. Maias. Ibi dum sacrificio,
 quo pro se litari curauerat, interest;
 repentè sermonis vsurã, tanto inter-
 clusam tempore, recipit, ita prom-
 ptam

V 2

ptam

294 OETINGANÆ HISTORIÆ
ptam atque expeditam, vt Collegii
Canonicorum Decanus, qui eâdem
die narrantem ista Sabinam audierat;
nihil in voce vitii, nihil in verbis hæ-
sitantia deprehenderit. Ciues ali-
quot Perlesreuttenses, in quibus
duo senatores, miraculi fidem præ-
sentes confirmârunt.

A.C. MDC
XXXVI.

I. Cum matrona quædam Oetin-
gæ, quo supplex venerat, miracula in
porticu Sacellum ambiente picta
scriptaque lustrasset; addubitare de
rerum veritate cœpit. Pœna in do-
mum reditione certa temeritatem
secuta est: Neo-fori improviso, gra-
uique morbo occupatur. Subiit hic
animum dubitationis Oetinganæ
memoria. Factum auersata pœnitenti-
dine, nouam trium Missarum spon-
sionem pro sanitate facit. Quâ im-
petratâ didicit, non ex vano rerum
admirabilium Oetingæ pendere mo-
numenta.

II. Legum Doctor, toparchie
Voch.

Vochburgensis administrator, plùs annum graui exercitus morbo, & iam tertium in supremum vocatus discrimen, medicis salutem desperantibus, Oetinganæ Virginis opem implorauit, argenteam pro valetudine statnam pactus, euentu secundissimo. Venit Oetingam sanus, votique fidem soluit.

III. Nauicularii duo, ciues Lauffenses, cum aduerso Oeno quattuor onerariis frumentum, vnâ vinum subueherent; fortuitò euenit, vt impetu fluminis naues, vectores, equi, omnisque vnâ salutis fiducia abriperetur. Peregrinatione, donoque sospitæ Oetinganæ promisso admirabiliter sunt seruati. Oetingam subinde grati adierunt, rémq; in tabulâ depictam inter anathemata suspenderunt.

IV. Joannes Altinus de Societ. Jesu, Coloniae, quò iam mortifero afflictus morbo peruenerat, sentien-

296 OETINGANÆ HISTORIÆ
di, intelligendique vsum amiserat:
adhæc hemplexiâ tactus mortui spe-
ciem præbebat. Vnde, quibus mori-
turi solent, sacris omnibus procura-
tus, inter sociorum preces iamiam
videbatur è vitâ discessurus. Fama
interea Bonnam ad Reuerendis. Il-
lustrissimûmque Principem, Fran-
ciscum Wilhelmum, Episcopum Of-
nabrugensem &c. cui Altinus à sacris
confessionibus erat, peruolauerat.
qui voto quindecim sacrificiorum,
Oetingæ conficiendorum, edito, cu-
rationem omnium malorum agro-
to impetrauit.

A. C. MDC
XXXVII.

I. E. Boicæ Trans-Danubianæ
parte, quam hodie Syluam appel-
lant, filiam adduxit Oetingam pater,
tetro aspectu formidabilem. Rige-
bat mortuali stupore vultus, fatisce-
bant hiantes oculi, vigorem succi vi-
talis omnem pallor obruebat. Fidem
hæc talia signa patri asseruerunt, apud
Oetinganos affirmanti, puellâ mor-
tuam,

tuam, nostrę Virgini precibus votóque commendatam, ad viuos rediisse.

II. Urbanus Mair, è Bauzanensi vicinitate, annis omnino tricenis peracres dextri poplitis, tandem etiam protinus obstupefacti, cruciatus pertulerat. Venit interea libellus Oetingensium miraculorum in manus. quem cum lectitando peruoluisset, cupido incessit animum, indidem inueterato malo remedium petendi. Quare Oetingam profectio- nem cum sacrificio donóque cereo vouit. Votum consecuta est sanitas. Sanus inde Oetingam descendit, & promissa persoluit.

I. Ciuis Engelcellensis Austriae superioris oppidi cum æstus leuandi gratiâ Danubium intrâisset, & longius, quàm tutum esset, natandi voluptate processisset; vorticibus abreptus in medium aluei prouoluitur. Nulla spes euadendi ob rapiditatem altitudinémque fluminis ostendebatur.

A.C. MDC
XXXIX,

tur. Quare animo Cynosuram Oetinganam respexit: cuius visendæ ubi votum edidit, in ripam oppositam, Deiparâ moderante, prouectus, cymbâque binis à piscatoribus est exceptus.

II. Michaël Kugellueger Ellingensis, Austriacus, biennium hydro-pisi oppletus in eam extumuerat vastitatem, vt neque ambulando promouere, neque stando sustinere corpus valeret. Nemo non iudicabat ad vltima redactum, supremis etiam remediis inani conatu adhibitis. Ac ægrôtus derelictam ab aliis vitam spem in Oetinganæ matris pietate repositam gerens, vouit, si conualesceret, ad eam aditurum: diebus tridui, quo manere ibidem statuerat, singulis Rosarii preces ter recitaturum: animum Pœnitentiæ, Eucharistiæque sacris procuraturum: beneficii memoriâ picturâ consecraturum. Sub hæc cum omnium admira-

ratio.

ratione cœpit habere meliusculè: ruptâque pedum cute ita omni sensim humore noxio extillauit, vt ex toto conualuerit.

I. Jacet Noricas inter Alpes peruetus D. Benedicti Cœnobium, cum oppido, Lunæ-lacus, siue Monsee, ab lacu, cui adiacet, appellatum. Ibi cum fortè superfusæ littoribus aquæ vicina inundassent; Georgius Gurgerus, ciuis, cum omni familiâ in supremum discrimen venit. Cùm enim domi plus triginta modii viuæ calcis seruarentur; aquis irritatus ignis cum fragore horrifico erupit, vaporéque tam denso domum inuoluit; vt iam extrema passuri viderentur. Coëgerat in hypocœustum præsentis periculi terror omnes, fugâ aquis interclusâ. Ibi pro vitâ domoque uouerunt Oeringanæ Virgini candelam ceream, effigiémque rei coloribus expressam. Auditas preces, liquidò patuit. nam confestim

A.C. MDC
XXXIX.

V s arde-

300 OETINGANÆ HISTORIÆ
ardere calx, & fumare destitit. Ser-
uati promissa animis gratissimis per-
soluerunt.

II. Puella quædam admodum in-
fans, matri cingulum abstulerat fur-
tim. Incusata facti pernegauit fecif-
se, maloque dæmoni, rea si esset, se
deuouit. Post hæc anni triginta flu-
xerant, iamque liberorum aliquot
mater erat; cum uaser humani gene-
ris hostis non modò animum ei ad
memoriam execrationis reuocauit,
sed & ipsam, & è liberis quaternos,
præmaturâ morte ereptos, sui iuris
ac potestatis esse prorsus persuasit.
Exinde plus annum tetri specie ser-
pentis continenter obuersatus ocu-
lis, terroris ac desperationis miseram
impleuit: atque, ut vera monentes
repelleret, quod caput infelicitatis
erat, effecit. Inextricabilem nodum
soluit pia Virginis Oetinganæ ma-
nus. Vouit ei Anna (id fœminæ no-
men erat) ceream effigiem, collectâ
stipe

stipe comparandam: & in libertatem animi è perniciosâ mœroris, errorisque seruitute est vindicata.

III. Alia quædam, flagitiis cooperta, multis annis expiationem neglexerat. Agebatur interim stimulis animi, metûque perpetuo: non tamen ad salutis adigi remedium siue consuetudo facinorum, siue confitendi pudor sinebat.. Obfirmatè reluctanti videndam se obtulit Deipara, filium de sinu ostentans, lacertum vulneribus, oppletum cruore. Quod spectaculum ad frangendum animum valuit. nam suam eo denotari contumaciam rata, quò fœditatem sanguinèmq; filio Virginis abstergeret, Oetingam profecta est, mentèmq; prægravi peccatorum sarcinâ exoneravit.

I. Diuersabatur eques apud Jacobum Schneider Grabensem, Augustanæ Ecclesiæ ditioni subiectum. Is ad castra profecturus equo pabulum,

A.C.
MDCXL.

302 OETINGANÆ HISTORIÆ
lam, sibi cibaria, ternosque aureos
poposcit, extrema omnia, nisi petita
præberentur, interminatus. Excusa-
sante hospite rerum, pecuniæ præci-
puè, inopiam; atque auenæ modi-
cum pro tenuitate admetiente; mi-
les in rabiem efferatus cum diris exe-
crationibus pecuniam denuò popo-
scit. Deposuit in mensam sestertios
vicenos hospes, quos à vicino re-
centissimè mutuatum se dixit. Miles
pecuniæ paucitate grauissimè com-
motus, primùm sarculo, temerè ob-
uio, miserum ferit: gladium deinde
lateri subter costas defigit, defixum
relinquit, & equo conscenso se pro-
ripit. Sub hæc cum facilè animad-
uerteret saucius, mortiferam esse
plagam, putare cum animo Virginis
Oetinganæ mira coepit: & si eius ope
conualesceret, accedere non sine
munere decreuit. Venit interea loci
chirurgus, exploratòq; vulnere ob-
lata esse ilia pronuntiauit, mortem
que

que certam indixit: medicinam, non
tàm sanandi spe, quàm seruandi mo-
ris causâ diebus octo adhibuit. Au-
gustanus adhæc chirurgus, inspecto
vulnere, mortem denuntiauit: non
enim, vt patriæ salus in Jacobi vitâ
verteretur, medicique operam eò o-
mnes conferrent, curationem pro-
futuram. Rediit inde, remediis in-
tentatis, Augustam. At Jacobus, æ-
terna prospiciens animo, sacris Ec-
clesiæ mysteriis saluti consuluit: chi-
rurgus loci admouere vulnere nihil
profectura perrexit. Vim igitur Oe-
tingani voti consecuta sanitas, cum
admiratione omnium, asseruit. Præ-
tor Grabensis litteris Oetingam mis-
sis rem testatus est. affirmârunt & te-
stes viri honesti, quos Jacobus ad-
duxit.

II. Illustris domina Francisca Pal-
fia, Paulo Palfio Comiti nupta, cum
lustratis Oetingæ miraculorum ta-
bulis legisset, foeminam post aliquot
annos

304 OETINGANÆ HISTORIÆ
annos infœcundi coniugii prolem
impetrâsse Deiparæ precibus; decre-
uit & ipsa, si matris obtineret hono-
rem, digno aliquo munere benefici-
um testari. Anno sequenti, qui de-
cimus initi matrimonii fuit, filiam
Mariam Reginam peperit, indubium
Mariæ Cæli Reginæ donum.

III. Georgius Sigelius, dum à cœ-
no puteum purgat, muri procum-
bentis oppressus mole decem horas
oblituit. Maria Regina Eggerina,
matrona nobilis, in cuius ille ditio-
ne erat, Oetinganæ Virgini com-
mendavit, illæ sūmque ruderibus ab-
latis recepit.

A.C.
MDCXLI.

I. Intulerat hoc anno Palatinatui
Boico infestum agmen Joannes Pa-
nierius, Suecici exercitus imperator.
Ibi Leonardum Ossingerum cum so-
ciis fugientem equitum hostilium
turma tantâ celeritate consectaba-
tur, vt euadendi locus non appare-
ret. Perfugit igitur ad Oetinganæ
Vir-

Virginis tutelam. cui posteaquam pro salute munus argenteum, sacrifici- que cum cantu peragendum promi- sit; manus prædonum feliciter effu- git.

II. Joannes Huterus Monacensis Româ, quo religionis causâ adierat, patriam repetens, Anconam inter, & Venetias naufragus iactabatur A- driatico in mari, sæuissimâ procellâ mare cælumque miscente. Ibi Mari- am, quæ Oeringæ colitur, animo re- spiciens, eò se profecturum, si enata- ret, donoque geminos illaturum cereos promisit: & saluus in littus euasit.

III. Opifex Cambensis in Au- striam proficiscens à milite perfossus est, gladio infra cor exacto. Erat di- scrimen vitæ summum. nam cum angusti vulneris meatum coiens ob- ruiisset caro, sanguis introrsum repul- sus vitalem præfocaturus calorem videbatur; eamque ob causam chi-

rur-

rurgus non meliore spe, quàm qui mortuo medicinam adhibet, curandum suscepit. At peregrinationis Oetinganæ sacrificiique votum effecit, vt mox in melius inclinarit valetudo, nec multò post ex toto sit instaurata.

*A. C. MDC
XLII.*

I. Anno Christi MDC XXXII, dum Gustauus Sueciæ Rex Donavverdæ exercitum admouet; foemina ex eà vicinitate à militibus intercepta, pecuniàmque cum minis atrocibus est postulata. Vbi illa inopiam excusauit; ensis ei per mamillam adactus, caputque scelopo equestri tam inclementer pulsatum est, vt audiendi iuxta loquendi que vim perdiderit. Exinde annis aliquot cum filia, matris ærumnas leuante, per Sueuiã, & Bavariam tintinnabulo stipem coëgit. Tandem filia de aliorum consilio, pro matre peregrinationem Oetinganam vouit. Eam obierunt circa annum MDC XXXVIII. Vt verò Barbara

bara nouum animo votum concepit, confestim valuit melius, & sub anni huius initium accipiendi reddendique sermonis integram facultatem recuperauit.

II. Georgius Hettel filiolum Thomam amissum dies omnino quinque desiderauerat. Perquisiuit interim, adiuuantibus triginta aliis, omni eo spatio, quod duobus quaquauerfum miliaribus Germanicis continetur, querendi studio non diebus, non noctibus intermisso. Non diu erat, cum Oetingâ, voto ob seruata pecora persoluto, rediit. Eodem igitur nunc animum referens certum ceræ pondus pro filio Deiparæ promisit. Quinto post die puer alius à palude vicinâ eiulatum puerilem exaudiuit, vocemque secutus Thomam à frigore tementem palentemque inuenit. Redditum pater Oetingam portauit, & nostræ Virginii, voto reddito, gratias egit.

III. Fœminæ cibum sumentis officulum tricuspide hæserat in faucibus. Quod cum chirurgus instrumentis explorâisset sæpius; neque sursum, neque deorsum potuit promoueri. Itaque postero quàm infixum fuerat die cruorem cum sanie cœpit reddere: officulum dies quinque hæsit immotum. Quo in discrimine Oetinganæ Virginis opem, voto peregrinationis edito, implorauit; & officulum de improviso tussiens eiecit. Annus rei factæ non proditur: hic, ad quem retulimus, est indicatæ.

IV. Hoc anno Traunsteinenses ceream candelam prægrandem Diuæ nostræ attulerunt, nouo insignem scuto, cui veteris beneficii narrationem inscripsere Germanicis metris: quorum hæc sententia:

A. C. M D L XXXVI, Sabbatho ante Natalitia sacra, ingens repente coortum incendium terrore metûque animos omnium concusserat, infestâ

venit

venti procellâ totum in oppidum
flammæ propagationem minitante.
Vouère ciues Oetinganæ Virgini an-
nuam cerei grandis donationem. &
mox Reginæ cæli precibus oppres-
sum est incendium. Inde adhuc
Traunsteinenses quot annis suppli-
cationem ducunt Oetingam, præ-
stantque promissum.

V. Quod extremo loco memo-
rabimus, inter prima nostræ Diuæ
miracula habendum. Joannes Bri-
xinensis Episcopus, S. R. I. Princeps,
binis morbis, utroque mortifero, af-
flictabatur. Æstuabat ardente feбри,
discruciabatur asperrimo calculi do-
lore. Et in hoc altero vis omnis me-
dicinæ, spésque medicorum defece-
rat, certaque mors denuntiabatur;
cùm erectus fiduciâ Princeps ad Dei-
param vertit animum, donum Oe-
tinganæ Virginis inferendum Sacel-
lo pactus, si iis cruciatibus leuaretur.
Sensit confestim recreari ex atroci-
tate

310 OETINGANÆ HISTORIÆ
tate morbi corpus: & subinde octo-
nūm dierum lapsu, calculos quadra-
ginta octo, absque sensu doloris, e-
didit. Obstupuere medici, & vnā o-
mnes alii, diuinæ manus id opus esse,
Deiparæ conciliatum precibus, pro-
fessi. Princeps Capellanum suum,
Gasparem Hartelium Oetingam mi-
sit cum litteris, quibus Decano Ca-
nonicorum Oetingensium miraculi
feriem exposuit: misit & donum,
quō voti fidem liberavit. Donum
sunt Vrcei gemini, & discus sacrifi-
calis, ex argento fabrè facta. Disci à
tergo cælatum hoc epigramma:

GLORIOSÆ ET ADMIRA-
BILI MATRI DEI VIRGINI
MARIÆ LETHALI MOR-
BO OPPRESSVS VOTVM
VOVI, ET VOTI VIRGINIS
OPE SANVS FACTVS SVM,
Ioannes Episcopus Brixinensis.
LETHALI MORBO OP-
PRESSVS D, VIRGINI MA-
TRI


TRIMARIÆ PER VETVSTI
SACELLI VETERIS OE-
TINGÆ VOTVM VOVI,
ET CONTINVO XLIIIX. LA-
PILLI, SEV CALCVLI SI-
NE DOLORE EXPVLSI
SVNT, ET MIRACVLOSE
SANVS FACTVS SVM.

FINIS.

OMNIA AD MAIO-
REM DEI
DEIPARÆQVE
GLORIAM
ET
HONOREM.



X 3 INDVL-



INDVLGENTIÆ
A S. D. N. VRBA.
NO IIX. PONT. MAX.
Oetinganam B. Mariæ Vir.
ginis Capellam visitantibus
concessæ,

VRBANVS
PP. IIX.

Vniuersis Christi fidelibus præ-
sentes litteras inspecturis sa-
lutem, & Apostolicam be-
nedictionem. Ad augendam
fidelium religionem, & ani-
marum salutem, celestibus Ecclē-
siæ thesauris, piâ charitate inten-
ti: Omnibus utriusque sexus Chri-
sti fidelibus, verè pœnitentibus &
confessis, ac sacra Communione
refe-

refectis, qui Ecclesiam, Capellam
nuncupatam Beatae Mariae Virgi-
nis, loci Oetingae veteris, Salisbur-
gensis Diocesis, in Natiuitatis, &
Assumptionis eiusdem Beatae Ma-
riae Virginis, festis diebus, à primis
Vesperis usque ad occasum solis fe-
storum huiusmodi, singulis annis
deuotè visitauerint, & ibi pro Chri-
stianorum Principum concordia,
haeresum extirpatione, ac sanctae
Matris Ecclesiae exaltatione, pias
ad Deum preces effuderint, quo die
praedictorum id egerint, Plenariam
omnium peccatorum suorum in-
dulgentiam misericorditer in Do-
mino concedimus. Insuper pro com-
moditate Peregrinorum, ad eandem
Ecclesiam deuotionis causa conflue-

entium, eisdem Peregrinis, Vere
 pariter pœnitentibus & confessis, ac
 sacrâ Communionem refectis, visi-
 tantibus dictam Ecclesiam, Plena-
 riam similiter omnium peccatorum
 suorum Indulgentiam & remissio-
 nem, semel in anno duntaxat, pro
 quolibet visitante Peregrino mise-
 ricorditer in Domino concedimus.
 &c.

Data Romæ apud S. Petrum sub
 annulo Piscatoris, die IIX. Ianuarii,
 MDCXLII. Pontificatus nostri
 anno decimo nono.

M. A. Maraldus.

INDEX

INDEX CAPITVM.

LIB. I.

- CAP. I. De situ, magnitudine, nominibus
Oetinga. Pag. 1.
- C. II. De Oetingæ origine. 5
- C. III. Quando, & quomodo Oetinga venerit
in potestatem Boiorum. 8
- C. IV. Quando Oetinga Christi legem acce-
perit. 16
- C. V. De sacello, cultui Deiparæ, à S. Ru-
perto, dedicato. 24
- C. VI. De Cœnobio Benedictino, donationi-
bûsque Principum Carolingico-
rum. 29
- C. VII. Oetinga excidium. 39
- C. VIII. Oetinga post excidium status. 44
- C. IX. Collegium Canoniorum instituitur. 46
- C. X. Præpositi Oetingensis Ecclesia. 55
- C. XI. De nouâ SS. Apostol. Philippi, & Ia-
cobi Basilicâ, deque Mariano
sacello adiunctis. 69
- C. XII. De Societatis Iesu domicilio & tem-
plo. 72

LIB. II.

- CAP. I. De rebus diuinis, ritu perenni Oetin-
gæ peragi consuetis.
- C. II. De principe dono, Deiparæ vetustissi-
mâ icone.

INDEX,

- C.III. *De signis antiquis, aureis, gemmatis.* 89
- C.IV. *De aliis quibusdam prisca pietatis monumentis.* 96
- C.V. *Alberti V. Boiorum Ducis, & posterorum in Oetinganâ ade visendâ, & locupletandâ pietas* 99
- C.VI. *Imperatorum, Archiducum, Principum aliorum pietas, & dona.*
- C.VII. *Civitatum, aliorumq; coetuum ad D Oetinganam peregrinationes, cum donis.*

LIB. III.

- CAP. I. *Miracula ab A. C. MCDLXXXIX. ad MCDXCV.*
- C. II. *Miracula ab A. C. MCDXCV. ad MD.*
- C. III. *Miracula ab A. C. MD. ad MDXXX.*
- C. IV. *Miracula ab A. C. MDXXX. ad MDLXX.*
- C. V. *Miracula ab A. C. MDLXX. ad MDLXXX.*
- C. VI. *Miracula ab A. C. MDLXXX. ad MDC.*
- C. VII. *Miracula ab A. C. MDC. ad MDCX.*
- C. IIX. *Miracula ab A. C. MDCX. ad MDCXV.*

C. IX.

INDEX.

- C. IX. *Miracula ab A. C. MDCXV. ad
MDCXX.*
- C. X. *Miracula ab A. C. MDCXX. ad
MDCXXV.*
- C. XI. *Miracula ab A. C. MDCXXV.
ad MDCXXXV.*
- C. XII. *Miracula ab A. C. MDCXXXV.
ad MDCXLIII.*
-

EMENDANDA.

Pag. 57. MCCCLXXXVI. l. MCCCLXXXVI. Pag. 153 v. 17.
Georgius I. Nicolaus. Catera quæ vel in litterarum
affinium commutatione, vel in membrorum,
incisorumue distinctione commissa prætermiffa-
ue sunt, lector beneuolus facile corriget.


MONACHII,
Typis Hæredum CORNELII
LEYSERII.




Coll. Gottfr. Jery Paderb. 1644.
ANNO MDC XLIII.


LII

14.













Th

5012